Pax in Terra,

SEV

TRACTATUS DE Pace Ecclesiastica;

OSTENDENS, QUALIS ET quibus hæc rationibus olim in Ecclesia propagata, qualis & quibus rationibus nunc propaganda.

Autore THOMA HAYNE, *olim Oxoniens. è Coll. Lincoln.*

LUC. 2. 14.

Gloria Deo in cœlis altissimis, & in Terra Pax, in homines benevolentia.

ANTIOCH. MONACH.

Ἐὰν φυσήσῃς εἰς σπινθ. &c. *Si sufflaveris scintillam, accendetur, si conspueris, extinguetur, ambo autem hæc ex ore procedunt.*

LONDINI,


Imprim. typis JOH. NORTON. Prostant apud *Josuam Kirton & Tho. Warren,* in Cœmiterio Paulino sub signo Equi candidi. 1639.



RECENSUI hunc librum, cui titulus est Pax in Terrâ, *in quo nihil reperio abhorrens à doctrinâ Ecclesiæ Anglicanæ; & dignum censeo qui imprimatur: id fiat intra sex menses.*

Apr: 22. 1639.
Lambethæ.

Joh: Oliver Reverendissimo in Christo Patri ac Dno Dno Arch: Cant: Cap: Dom:





ORNATISSIMIS ET CHRISTIANISSIMIS

Ecclesiæ Filiis, qui Pacis, indultæ nobis à Deo Pacis, sunt studiosi,

Autor dulcissimos Pacis fructus in hac vitâ, & ejus plenam fruitionem *in futurâ animitus optat, & precatur.*



PAcis nomen (Viri mihi multis nominibus colendissimi) amabile, rémque ipsam summis votis & obviis ulnis amplectendam [a] censuerunt omnes omnino homines, tum Religionis, tum rationis radiis illuminati. Quod tum scriptores profani, tum vel maximè Ecclesiæ Christianæ Doctores piissimi nullo non seculo votis & precibus Pacem expetentibus, & encomiis fructum pacis deprædicantibus, sunt testati. Quid quòd & chorus [b] Angelicus in Christi Nativitate à Deo missus Pacem in

[a] *Nemo est, qui pacem habere nolit;* Et, *Nil pace gratius, desiderabilius, melius.* August. de Civ Dei, L. 19. c. 11.

[b] Luc. 2.

in Terris annuntiavit, & voce concordi celebravit: Vnde etiam Ecclesia Mater charissima, Pacis à Deo facta particeps, Pacem & Charitatem, præsertim Ecclesiasticam inter filios suos crebris Apostolorum admonitionibus & omnibus conatibus studet conservare. S. Paulus verò postquam à Christo veram in fide Pacem impetraverat, & factus fuerat Gentium Apostolus, ad Pacem sæpissimè [c] hortatur; [d] idem sentire, & idem loqui vehementissima obtestatione suadet; Charitatis commune [e] cum pluribus aliis virtutibus vinculum ostendit: nec *Ephesios* [f] *vocatione sua satis dignè ambulare arbitratur, nisi cum omni submissione, & lenitate, cum iræ cohibitione alii alios tolerent per charitatem; & junctis operis studeant unitatem Spiritus in vinculo pacis tenere.* Quare S. Augustinus [g] rectè, *Si vultis,* inquit, *vivere de Spiritu Sancto, tenete charitatem, amate charitatem, desiderate charitatem, ut perveniatis ad æternitatem.* Quod si itaque sint inter membra Ecclesiæ Christianæ, quæ pacem Ecclesiæ turbant, & charitatem interrumpunt, hæreses; & hæreses esse oporteat: oportet

c *Ut p.63. patet.*
d Phil.2.1.
e 1 Cor 13.
f Eph.4.2.
g *In Serm. de Temp.*

oportet etiam *ſtudium* [h] *eſſe & conatum vigilantiſſimum*, tum præveniendi ſectas nondum natas, tum extirpandi jam adultas. Nam quæ ex Satanæ malitia, & humana depravatione fluunt mala, ea Spiritus ſancti ope, & Eccleſiæ curâ, quantum fieri poteſt, ſunt tollenda. Terræ illud eſt ingenium, ut in feraciſſimo agro cardui, in horto herbæ noxiæ enaſcantur: at quæ cultura diligens neutiquam poteſt tollere, ea quavis ratione & ſedulitate elaborat ſupprimere aut ſuccidere. Creſcit cum frumento palea, effoditur cum auro ſcoria; at hæc novit ars humana ſecernere: & olim adoleverunt in Eccleſia Chriſtiana, unâ cum Catholica veritate, hæreſes, & jam repullulant antiquæ, aut ſuppullulant novæ: has penitus eradicare, aut ſaltem minuere tum renovatæ, tum novæ opus ſedulitatis, & Pacis & Charitatis erit ſtudium. [i] *Deus non eſt confuſionis autor ſed* [k] *Pacis*, *Charitatis* [l], *Veritatis* [m]: *nos verò oportet ad Dei Patris noſtri exemplar* [n] *fingi*, *& refingi. Quare in nomine Chriſtianorum, in Chriſti doctrina conſpiremus omnes; nec ſimus multi* [o] *magiſtri*: ſed elaboremus,

h Σπουδάζοντες τηρεῖν τὴν ἑνότητα &c Eph. 4. Σπουδὴν πᾶσαν &c *Omnis diligentia pertranſiens catenam vir unus deſinit in fraterno amore & charitate.* 1 Pet. 1. 5.

i Cor. 14. 3.
k Rom. 15. 35.
l 2 Cor. 13. 11.
m Ioh. 14. 6.
n Μιμηταὶ Θεοῦ *æmulando in charitate.* Epheſ. 5.
o Mat. 23. Iac. 3. 1.

ut

p Matth. 23.8 & c. ut *omnia hominum* p *nomina* ad schismata & sectas nimiâ personarum admiratione avocantia, & doctrinæ hominum omnes, expressam Dei autoritatem nescientes cedant Christo, & doctrinæ Christi, ad Gentium omnium illuminationem apertissimè revelatæ : ut omnis Christo gloria (sic enim æquum est) ascribatur. Mahometani Christianorum vident schismata, & gaudio excipiunt; Judæi Christo rebelles, Christianorum litibus evadunt obduratiores; Ethnici stabunt attoniti, nescientes ob rixas Christianorum, cui se adjungant parti; Pontificii de sua non desperabunt causa, cum Reformatarum Ecclesiarum dissidia conspiciunt : Ecclesiæ reformatæ opiniones Papistarum Scripturis evidentissimis oppositas nequeunt tolerare. Pij & cordati omnes ubivis locorum dissensiones & lites Ecclesiarum, sub Christi nomine militantium, deplorant & lamentantur. Ne multus sim, loquatur pro cæteris omnibus Is. Casaubonus vir instructissimo doctrinæ penu, & acerrimi judicii lima celeberrimus. Hic q *literarum omnium in his temporibus Palingenesiam, & exorientem*

q *In prolegom. Exercit. ad Baron.*

entem è tenebris densissimis splendorem agnoscens, ait, hanc felicitatem infelicitatem aliam nihilo minorem ex dissensione in causa Religionis esse comitatam. Quæ ex re natæ sunt inter populos Europæ discordiæ implacabiles, odia plusquam Vatiniana, bella dirissima, & nullum non malorum genus. Hoc satis supérque manifestum est in plurimis illis inter Pontificios & Protestantes controversiis, idque Pontificiæ doctrinæ [r] neutiquam tolerandæ culpâ: faces vero & incendia inter hos accensa, Reformatarum etiam Ecclesiarum ædificia corripuerunt, & multorum animos, plus quàm necesse fuit, inflammarunt. Hæc, inter cæteras Europæ miserias, cum diu & seriò animo agitassem, subiit mihi cogitatio, non ingratum fore pacis fautoribus & ingeniis moderatioribus audire, quæ pro pace Ecclesiasticâ in hoc Tractatu annis abhinc tribus sum meditatus, & seposito & abjecto partium studio, ut par fuit, conscripsi. Scio ingenuos & candidos Judices (quales VV. RR esse optime novi) nosse & cognoscendi hæc, quæ ad Ecclesiæ pacem spectant (quâ nihil studiis humanis prius &

r *Nam culpa non ascribenda malis, quæ postremò acciderunt,* ἀλλὰ τοῖς πρώτοις τῶν ἁμαρτημάτων, ἐξ ὧν ἐπὶ τὴν τελευτὴν ταύτην κατηνέχθησαν, *sed in prima delicta, quæ consecutis infortuniis quasi materiam præbuerunt.* Isoc. verissimè, Orat. de Pace.

antiquius esse debet) & ignoscendi, sicubi lapsus sum, locum esse. Quare quàm consona hæc sint tum Religioni tum rectæ rationi, vestrum sit judicium. Sicui certè inter vos visum fuerit vero, moderato, fraterno, pio animi affectu quicquam monere, aut reprehendere; spondeo me neutiquam futurum animo obfirmatiore, sed aut rationem redditurum, aut ingenuè meliori consilio auscultaturum. Manus, [f] pes, oculus, si offensioni sint, sunt exscindendi: multò magis opinio minùs vera. Vincat, cui vincere certum est, *Veritas*. Ego certè liberam correptionem, & vulnera ab amico profecta novi rectè interpretari. Quod si Zelotis quibusdam non satisfecero (quid enim iis potest arridere, quod non à propria prodiit incude?) Sciant hi me noluisse scientem, de recta via vel transversum unguem deflectere, ut illorum venarer suffragia, aut gratiam inirem. Constat certè facillimum esse ingeniis pervicacibus quidvis rectè dictum invertere, & quæ ex bono animi thesauro prodierunt, malitiosè insimulare: at multò

[f] Mat. 5. 29. *Suos ipsorum pedes & manus homines* ἀποτέμνουσιν, ἐὰν αὐτοῖς δοκῇ τὰ ἑαυτῶν πονηρὰ εἶναι *abscindunt, si comperient esse sibimet ipsis mala.* In Plat. Sympos.

multò facilior [t] erit justa, ubi opus est, defensio. Nimiam promptitudinem ad controversias non necessarias procreandas, fovendas, aut intemperantius agitandas idque meritò culpavi: nec quisquam hac de re queri jure poterit, nisi qui velit eâdem operâ hujusce [u] culpæ suspicionem in sese derivare, aut criminis hujus reum se profiteri. Nullius personam læsi, neminem tectiùs perstrinxi, aut apertiùs indigitavi. Rebus nuper gestis me ingerere, & verba mea tumultibus Britannicis jam infeliciùs motis attemperare non potui, utpote qui tractatum hunc anno 1636, [x] absolverim. Sicui verò libeat obloqui, & hæc calumniari, is quidem operam & oleum malè collocabit: tum quoniam 1. videor mihi omnia ædificasse super fundamentum non facili negotio subruendum; tum 2. quoniam is obliquè eâdem operâ videbitur pacem (ab omnibus promovendam) animo inimico impetere, Ecclesiæ bono, & Dei gloriæ (quorum interest lites, hæreses & sectas quàm paucissimas suboriri

t Ῥᾷον χαλεπῶν ἀντειπεῖν &c. *Non difficile est respondere temerè cavillantibus.* Isoc. Orat. de Pace.

u *Non, dixi quicquam* κατὰ πάντων, ἀλλὰ κατὰ τῶν ἐνόχων τοῖς λεγομένοις *contra omnes, sed contra obnoxios iis, quæ dicta sunt.* Isoc. Orat. de Pace.

x *Maii* 28.

oriri novas, omnes prorsus tolli veteres) sese opponere; 3. quia aliorum studium, qui paratiùs & fortiùs in hoc eodem campo contra schismatum hydram sunt depugnaturi, retardabit; & 4. quoniam hæreticis & contentionum fabris animum dabit, & vires, ad alacriùs in suo cursu progrediendum, & *y hæreses exitiales* propagandum, & *sibimet ipsis* (& aliis, quorum duces sunt futuri) *celerem perniciem accersendum*. At spero meliora, & pacatiora, licèt sic loquor. Nam scio haud quenquam, qui sagaci & animo sereno hæc trutinaverit, fore tam infensum, ut Pacis precatorem & oratorem, *qui ramum prætendit Olivæ*; temerè aversetur, aut sciens prudénsque lædat. Sacratior erat Oliva Ethnicis, ubi de Pace civili agebatur; nunc ubi Pacis Ecclesiasticæ causa venit cognoscenda; est quod sperem, genuinos omnes Ecclesiæ filios in me benè animatos & faventes. Vtcunque se res habuerit, cum mea mihi conscientia attestetur, me Dei gloriam, Ecclesiæ Pacem, hominum salutem

y 2 Pet. 2. 1.

tem

tem animo ſincero & minimè fucato, pacifico non inquieto his meis meditationibus ſpectaſſe, de eventu ero ſecurior, & confidentior. In cauſa verò Pacis agenda primas partes ſacræ paginæ dedi: tantum ubi licuit, & res tulit, autorum [a] profanorum vota & ſuffragia (ſacris ſubſervientia) pro Pace, & iis quæ ad Pacem faciunt, attuli; non malo, ut arbitror, conſilio. Nam & ſacra pagina citat bona naturæ [b] documenta, impiorum rectè facta [c] quadantenus laudat, etiam & poëtarum (licèt rariùs) [d] ſententias profert cordatiores. Siquidem recta ratio ſub ſacro vexillo militans, & ſerva [e] audiens dicto Dominæ ſacroſanctæ Theologiæ, non eſt è familia exterminanda; omnéſque decet tum Religionis, tum rationis monitis ſalubribus aurem præbere facilem. Deus Pacis omnigenæ animos noſtros ita præparet formétque, ut Templum Pacis, (in quo Chriſtus delectet habitare) efficiamur; ut Hieroſolymæ urbis, quam Pacis viſio nobilitat, concives in hac vita admittamur; & in ſeculo futuro

a τὸ καλῶς ἐιρῆσθαι ἂν ᾖ, ἴδιον τῆς ἀληθείας ἐστὶ, ubicunq; aliquid rectè dictum inveneris, poſſeſſio ejus ad veritatem ſpectat. Socr. Hiſt. Eccleſ. 3. 16. Domini eſt, ubicunq; inveneris veritatem. Auguſt. de Doct. Chr. lib. 2. c. 18.

b Rom. 2. 14. 1 Cor. 11. 14.

c Mat. 5. 46. Act. 26. 27.

d Ut Epimen. Arat. Eurip. Socr. Hiſt. Eccleſiaſt. 3. 16.

e Secularis ſcientia ſerva eſt, cui imperat Theologia, ut Domina. Clem. Alex. Str. 1.

futuro æternæ Pacis & felicitatis Coronâ Christi meritis partâ, & nobis indignis ejus servis pro summa ejus misericordia & amore donatâ, fruamur. Hoc submissiùs & impensiùs precatur

[z] *Secularis Sapientia de Moabitide effici potest Israelitis.* Hier. ad Pammachium.

E Musæo meo prope Templ. Christi Lond. *Iun.* 4.

Servus V.V. R.R. humillimus,

TH. HAYNE.

Ad Autorem de Tractatu *hoc Pacifico.*

En quo discordia—

AD commune incendium restinguendum non sine pietate convolant universi: ut sopiantur dissensiones, & pax instauretur Publica non sine laude omnium conatus adhibentur; Ecclesia praesertim, cujus ministros scitè dixit Tertullianus Sacerdotes pacis, quam & ipsam praeclarè vocavit S. Maximus ἄσυλον τῆς εἰρήνης ἀνάκτορον. Illud autem modestè, doctè, opportunè tentatum factúmque sentimus ab Irenici hujus ingenuo verè & erudito Autore. Cui omnia fausta & felicia ominamur; utque res pro votis succedant Deum supplices veneramur, vovemus, optamus.

DANIEL FEATLY, S. Th. D.
MATTHIAS STYLES, S. Th. D.



Ad Autorem.

Prov.25. 11. SCitè Sapiens תפוחי זהב במשכיות כסף דבר דבר על-אפניו *poma auri in figuris argenti verbum dictum super modos suos*: id est, Sermo prolatus, seu Tractatus editus de re commoda tempore opportuno (nam *Hieronymus transfert* על-אפניו *tempore suo*) oblectamentum quoddam unâ cum emolumento auditoribus, seu lectoribus exhibet. Scil. aurea poma pretiosa sunt; & paleis argenteis intertexta, speciosa. Huic consonum est illud Poëtæ,

Horat. de arte poët. *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

Næ tu igitur (Haynsi pacifice) prudenti & pio hoc consilio omne feres punctum, id est, ut ego interpretor, omnium suffragiis comprobaberis, qui Tractatum per-quàm commodum tempore per-opportuno edideris, atque ita edideris, ut delectes, pariterque moneas. Nam turbulentissimis hisce tempestatibus, Europam prementibus, aditum ad Pacem Ecclesiasticam aperuisti, & ad eandem sectandam ita nervosè suasisti, ut non possis non persuadere. Serm.7.de modo bene vivendi. *Pace quid utilius? quid jucundius? omnibus esse necessariam, & ab omnibus amari*, dixit Bernardus. Æterna te pace beet, qui pacificos beatos pronuntiat, facitque.

GUIL. GOUGE, *S.Th.D.*



In Εἰρηνικὸν Ἐκκλησιαστικὸν Authoris.

REBECCA *gemellis gravida, puerorum luctam sentiens, divina de bello intestino consuluit oracula: fœcunda Dei Ecclesia divini seminis virtute, prolem Deo amplam peperit; indies tamen fœtu jam edito diras ὠδῖνας patitur. Quid ita? Uti olim Samsonus (caudis vulpecularum torribus commissis) in sata Philistæorum easdem immisit: sic usque ad hodierna tempora Diabolus ab inferno catulos suos hæreticos ignitis dogmatum ψυχολέθρων stipitibus instructos, quibus segetem Domini concremarent, pacémque Ecclesiæ interturbarent, ablegavit. Quinimo (proh dolor! proh pudor!) ipsi promissionis filii genuini de lana caprina, περὶ τῆς καινοφωνίας, καὶ περὶ τῆς λογομαχίας curiosi plus satis, capitales inimicitias (quasi de ipso cœlo manus conserebantur) animitus fovent & prosequuntur. Quid agendum? Oracula sacra sunt nobis consulenda. Hæc εἰρηναῖος noster felici Mercurio reseravit, remedia mali prodidit bonus medicus, quibus ἀνωδύνοις cruciatus atroces Matris sedari, quibus ἀκεσμοῖς inveterata gravedo prolis sanari possit, commonstravit. Opus sanè toti Christianitatis orbi commodissimum, saniori parti exoptatissimum, nemini uti spero ingratum: Sin autem alicui, ego (nisi eum œstri, quo percitus est, ante pœnituerit) post urnam*

Cenotaphii

Cenotaphii istius Catilinæ, Selimi Turcæ truculenti Epitaphii partem illam, ignominiæ μνημόσυνον inscribam: licet ossa jacent, animus bella quærit. Tu (Haynsi) pacificas tuas commentationes nisi prælo commisisses, te invidum rei Christianæ dixissem, cujus jam amantissimum pleno ore semper prædicabo. Tu, Lector, qui litigandi rabie non es agitatus, ambabus ulnis illas amplectere, quo nobis facilius pacem illam desideratissimam conciliare possis, quam tibi totique genti Israelis Dei, à Deo pacis precatur

Τῆς ἀληθείας ὁ φίλος,

EPHR. UDAL, Eccl.
S. August. R. apud
Londinens.

CAP.



CAP. primum.

Argumentum.

Orbis Christianus jam bellorũ tumultibus et opinionum discordiis multùm vexatur. Cum tamen Deus felicem, tranquillam, gloriosam Ecclesiæ sub Christo conditionem, quam promisit, ex sua parte nobis concessit; eamque quantum ejus fert misericordia & justitia, promovet.

IN ea incidimus tempora, ut incertus hæream, sitne nostræ felicitati potiusgratulandum, an de misera hujus seculi conditione conquerendũ. Quippe orbis Christianus tum horrisonis belli clangoribus undique perstrepit, & sanguine madet totus: tum etiam virulentis controversiarum clamoribus, & stomachosis opinionum conflictibus ita resonat, ut ferreus planè sit, qui hisce tot tantisque malis non indoleat. At contra cum Dei bonitatem & misericordiam ultimis his mundi temporibus in sacris scripturis promissam legimus, non possumus

CAP. I. quenquam adeo vecordem & ingratum suspicari, qui non exultet, & totus gaudio non perfundatur. Nam Deus per prophetas divino spiritu motos Ecclesiæ Christianæ mira prædixit
Es.7.14. & gloriosa. *Virginem scilicet concepturam &*
Es.11.1. *filium parituram: proditurum germen è trunco succiso Jissai & surculum è radicibus ejus brachia extensurum:*
Es.9.6. *hunc vocandum admirabilem, consiliarium, Deum fortissimum, patrem æternitatis, principem pacis.*
Es.42.1. *Hunc servum Dei electum fore, in quo ei sit complacitum: & prophetam*
Deu.18.15 *è gente Judæorum à Deo excitatum, sicut Mosen; cui in omnibus, quæ loquutus fuerit, sit obtemperandum.*
Es.61.1. *Spiritum Domini Iehovæ super hunc fore: eò quod Iehova hunc uncturus sit, ut pauperibus Evangelizaret, ut contritos corde sanaret, ut captivis dimissionem prædicaret, & cæcis oculorum recuperationem, & confractos in libertatem emitteret.*
Es.34. *Præterea aures surdorum patefactum iri, claudum saltaturum, ut cervus; mutum cantaturum; erupturas in deserto aquas & torrentes in solitudine.*
Es.25.6. *Promisit etiam Deus se in monte suo facturum convivium rerum pinguium, convivium vini defæcati, pinguium saginatorũ, vini facibus expurgati.*
Es.2.3. *Speciem veli obnubentis omnes populos, & operimentum obductum super omnes gentes abreptum iri.*
Mic.4.2. *Legem prodituram è*
Zach.14.7 *Sione, & verbum Domini Hierosolymis. Iehovam regem super omnem terram futurum; eo die fore Iehovam unum, & ejus nomen unum.*
Dan.7.37. *Filium hominis ad Antiquum dierum, ductum ab*
Psal.2. *illo accepturum Dominatum, gloriam & regnum, à mundanis potestatibus oppugnandum, non expug-*

CAP. I.

pugnandum. Unde futurum sit, ut omnes populi nationes & linguæ ei serviant, ejusq; Dominatus perpetuus sit, & regnum non corrumpatur: ut dominetur à mari ad mare, & ad fines usq; terræ possessiones imperij sui extendat: ut omnes ei reges honorem exhibentes sese incurvent, & omnes ei gentes sese submittant servituras. Pſ.72.8. Pſ.2.8.


Quæcunque verò promisit Deus, sibi constans, & semper sui similis, ex parte sua implevit. *Misit nimirum Iesum Christum, filium Davidis, ex virgine Maria genitum. Hic vero fuit Propheta ille, de quo Moses; Prophetam vobis, inquit, suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris, sicut me: eum audietis in omnibus, quæ vobis fuerit loquutus. Hic autem sanavit quemvis languorem & quemvis morbum populi* (corporalem, idem facturus in spiritualibus animæ ægrotationibus) *verbo sanavit*. Hic vocavit; *siquis sitit, veniat ad me, & bibat. Quilibet qui credit in me; sicut dixit scriptura, flumina aquæ vivæ ex ejus ventre scaturient. Hic convivium paravit, misit ad invitatos* (scil. Judæos) *prandium, inquiens, meum paratum est: tauri mei & saginata mea mactata sunt, & omnia parata. Venite ad convivium.* Cum vero invitati (Judæi) ad has epulas accedere neglexissent, & contumeliosè Dei nuntios tractassent: Deus servis suis præcepit. *Ite, inquiens, ad compita viarum, ad vicos & plateas urbis: mendicos, ac mancos, & claudos, & cæcos* (quoslibet nimirum è Gentibus) *adducite: & quoscunq; inveneritis, vocate ad convivium.* En immensam Dei bonitatem! πλοῦτον τῆς χρηστότητος, *divitias* Mat.1. Luc.3. Act.3.22. Mat.9.35. Joh.7.37. Mat.22. Luc.14.

Cap. I.
vitias mansuetudinis! Etsi Gentes Deitatem au-
Rom 2 4. *ro, argento, lapidi, sculpturæ artificij & cogitatio-*
nis hominum esse similem cogitarant: & Deum I-
dolorum cultu ad justã irã provocarant: ita ut jure
Act.17.29. liceret istam improbitatẽ gravissimè puniisse.
30. *Ille tamen temporibus istius ignorantiæ conniven-*
Mat.28.19 *do dissimulatis, tunc mandavit omnibus ubiq;*
20. *hominibus, ut resipiscerent: Christo dedit omnem*
Luc.2 32. *in cœlo & terra potestatem: fecit eum lumen*
Gentibus, & gloriam populo Israelitico. Hic verò
Apostolis & eorum successoribus imperavit:
Ite, & docete omnes Gentes baptizantes eos in
Luc 4 18. *nomine Patris, et Filij, & Spiritus sancti.* Vnde
Evangelium pauperibus fuit annuntiatum, corde
contriti sanati sunt, & captivis, immo & Satanæ
Act 2. *potestati obnoxijs libertas concessa fuit. Sic fa-*
Act 4.11. *ctus est Iesus Dominus & Christus, & caput*
anguli: nec in alio quopiam salus. Nec enim a-
Act.3 25. *liud nomen sub cœlo datum est hominibus, per*
quod fieri possit, ut salventur: in eo enim omnes
Rom.9.25. *terrarum familiæ benedictionem consequuntur:*
& populus, qui Dei populus non erat, populus ejus
Mat.6 13. *vocatur: & ea, quæ dilecta non erat, vocatur di-*
Apoc.12.5. *lecta. Ejus igitur est regnum & potentia & gloria*
Luc.1.33. *in seculum: Et regni ejus nullus erit finis.* Vide-
mus quæ & quanta nobis senescentis mundi
Es.54.2. filiis indulsit Deus: quàm plena manu sua in
Apoc.7. 9. nos effudit beneficia, *quàm gratiosè tabernacu-*
Luc 24.47 *li sui aulea solito latius extendit, ut Gentibus*
Es.52.10. *omnibus & nationibus in remotioribus mundi pla-*
gis, immo nobis penitus à toto orbe divisis, & in
Gal.4. 26. errorum & superstitionum deviis olim palan-
Act 2.34 tibus, *locus in sancta urbe, in cælesti Hierusalem*
daretur,

Cap. 2.

daretur, & pax omnibus evangelizaretur tum longinquis tum propinquis. Ita ut nunc Paradisus, ex quo olim Adamus expulsus, omnibus nationibus & linguis sit de jure adapertus: ut Ps.147.19. Ecclesia Dei, *ex qua olim Gentes seclusæ iis omnibus de jure secundum sponsi mentem, tanquam mater amantissima, ubera offerat sugenda; obviis ulnis quoslibet sine discrimine cujuscunq; demum populi & nationis occurrat amplexura: ut Porta cælestis Hierusalem duodecim nunquam claudantur, sed ad quosvis admittendos, qui intrare velint, pateant.*

20. Rom.9 24. 25. Es.49.22. 23. Apo.21.25



Cap. II.

Argumentum.

Hominum culpa fit, ut Ecclesia Dei ad felicem hunc in terris statum non aspiret: idq; primò, incolarum Paganorum in extremis orbis partibus degentium. Secundò populorum & nationum à veritate semel accepta apostatarum. Tertiò Sectariorum & hæreticorum scil. Papistarum, Anabaptistarum, &c. in iis orbis partibus ubi Evangelium sincerè prædicatur.

SI tam egregia & singularis sit Dei erga ultima hæc mundi tempora bonitas; undę jam de facto tanta adhuc Paganorum, Mahumetanorum, hæreticorum, Sectariorum, A-

CAP. 2. theorum colluvies? unde tot extra caulam Ecclesiæ lupi, ursi, leones? tot intra cancellos sacros & Ecclesiæ Christianæ septa vulpes ovinis tectæ pellibus? Nostro sanè hoc fit vitio. Quippe cum liceat nobis esse beatis, & alios ad beatitudinem perducere; eô felicitatis, quo oportet & licet, ipsi non aspiramus, aut alios satagimus

Marc. 16. 5 promovere. Cum Christus jusserit, *ut Evangelium, epulum salutiferum omnibus pararetur,*

1 Tim. 2. 4. *omni creaturæ prædicaretur; ut omnes ad cognitionem veritatis venirent: ut mendici, cæci, claudi,*

Luc. 14. *manci*; quivis scilicet è Gentibus vocarentur:

Joh. 10. 16. *ut unicus esset grex sub uno pastore Iesu Christo:* absit, ut nos illum in crimen ingrati, & malè consulti vocaremus: quasi per illum stet, quòd bona illa gloriosa olim promissa, nobis non impertiantur. Certissimum est nos nobis deesse, in nos officij nostri pessimè peracti culpam recidere: & hominum peccatis bona detineri, quo minus pleno cursu & flumine orbem inundent. Quod liquidò patebit, si tempora jamdudum effluxa sagaciùs pensitemus. Nam eodem prorsus modo

Nu. 26. 65. *populus Israeliticus Dei peculium, ad*

1 Cor. 10 *Idololatriam deflectendo, libidini indulgendo, & obfirmatiùs rebellando effecerunt, ut omnes ferme in deserto bonæ illius terræ, quam iis prospexit & promisit Deus, spe exciderint,* & diem ultimum clauserint. Sic Judæorum summi Sacerdotes, *Presbyteri, scribæ, cæci populi duces cæcio-*

Mat. 22. 7. 8. *res, Dominum vitæ morti addicendo, & Dei consi-*

Luc. 7. 30. *lium in se rejicendo, à convivio illo, quod iis Deus gratiosissimè instruxerat, erant olim, atq; eti-*

Luc. 14. 24. *amnum manent exclusissimi.* In his speculis

mundus

mundus hic fata sua (nisi planè excutiat, & renuat pœnitere) perspiciat & contempletur. Siquidem hujus ætatis iniquitas grandescens, & ad altissimum jam fastigium provecta, bona illa à Deo omnis boni fonte parata intercludit & evertit. Omnes itaque os suum manu sua obstruant, nec Deo obloquantur: sed ingenuè fateantur sua culpa evenire, quod regnum illud Christi satis potens ad omnia mundana regna conterenda, non prævalet & de facto omnibus regnis superius est: quod omnes vires Satanæ non quassat, & ad universos terræ fines & Gentes propagatur. Gravissimum, inquiet quispiam, mundo intentatur crimen: sed * *quod omnibus impingitur, nemini impingitur*. Strictiùs igitur agendum, & speciatim mundi peccata sunt indigitanda.

* Πρὸς ἅπαντας λέγειν ῥᾷον: οὐδὲν λέγειν ἐστι. *Isoc. ad Philip.*

1. Primo autem *remotissimos illos orbis non satis cogniti incolas* culpa non vacare indubium est. Cæterum cum non constet: quo tempore illorum patres ab Ecclesia Dei avulsi à pietatis tramite deviarunt; quam diu in impiis eorum vestigiis perstiterunt; quot & quibus modis Deus ad veritatis communionem cum Ecclesia illos tentavit revocare, æquius mihi videtur, illorum vicem dolere, & tanto malo remedium quærere, quàm illorum peccata pluribus exagitare, & in tanta miseria jacentes proterere.

2. Secundo in loco vehementiùs peccatis suis Deum ad iram provocant *incolæ terrarum in quibus olim vera Dei cognitio copiosè progerminavit*. Ii scilicet, qui in terra olim sancta, in Sy-

CAP. 2. Syria, Aſia minori, Græcia & quibuſdam aliis Turcarum provinciis degunt. Inter hos enim extant quædam tum veteris tum novi Teſtamenti exemplaria: Chriſtiani non pauci (licet in quibuſdam à ſacro canone declinantes) ſalutem in nomine Jeſu Chriſti docent, & fidem Chriſtianam profitentur: quædam illic divinæ veritatis veſtigia ſuperſunt: priorum verò temporum res in his terris geſtæ, & antiquitatis monumenta non ſunt prorſus obliterata; ſed priſtinæ pietatis ſenſum aliquem & memoriam refricant renovántque.

3. Tertio, gravius crimen incurrunt *Hæretici & ſchiſmatici, nimirum Papiſtæ varij coloris ſiniſtrorſum; Anabaptiſtæ, Sociniani, &c.* dextrorſum: qui in conſpicuo aliquo particularis Eccleſiæ reformatæ gremio enutriti pacem *datam legatámq; orbi per Ieſum Chriſtũ* interturbant: &
Joh 14 27.
Eccleſiam matrem ſuã tanquã rebelles filii vexant, diſcruciant, lacerant. Hi ſeu videant meliora probéntq;, & deteriora mundano ſapientiæ hauſtu inebriati ſequantur: ſeu ſpiritu αὐθαδείας arrogantiæ & ſuperbiæ elati & præpediti, oculos habeant ſuâ culpa præſtrictos & occæcatos, & verè nolint religioni adhærere, rei ſunt peccati longè graviſſimi. Utcũq; verò inter omnes hos orbis, quos jam dixi incolas; *popellus & vulgus hominum* in valle ſiti atrociter delinquant: principes tamen harum factionum, habiti ποιμένες λαοῦ, *paſtores populi, anteſignani & primores ſectariorum*, in ſummitate montis, in ſpecula conſtituti, horridius, conſpectius, conſultius crimen perpetrant &

ut illi Jer. 8. 8. 9. *ut illi* Joh 9. 41. & Act. 4. 16

οἱ μὲν ἀγνῶτες παρανομοῦσι μᾶλλον τῶν ἐπιμόνων. *Ductores magis peccant quam milites.* *Thucyd. l.* 3.

Deum

Deũ multò magis ad iram & vindictã irritant. Nã hi opera Dei in grandioribus beneficiis dispensandis & in judiciis maximè conspicuis infligendis non possunt ignorare. Hi regnorum & imperiorũ ortus, Deo duce, & religione efflorescente; & occasus regnante peccato, & superstitione & schismate dominante, & ex his utrisque enatas majores rerũ omnium cóversiones, nisi ventri & vanitati toti litent, ex scriptura sacra perspiciũt. Sciant hi se quò majorẽ rectè agẽdi & Deum glorificandi potestatẽ habeant indultam, eò pœnas neglecti & prætermissi officii tristiores daturos. Ipsi viderint, & eligant; stipatinè innumero hominũ grege, qui ab illorũ pendent nutu, velint gloriosi Deũ vocantẽ sequi & beari; an se suósq; menti deceptæ confisos in certissimã & deploratissimã perniciẽ præcipitare. Serio & religiosè perpendant quod Moses septimus ab Abrahamo mundi hæræde, venustus admodum in Regiæ fœminæ oculis; corpore tam robusto, ut anni 120. oculorum ejus aciem non hebetarint, aut vires corporis naturales non infirmarint; habitus filius filiæ Pharaonis; cumulandus honoribus, deliciis, thesaurísq; aulæ Ægyptiacæ; & (quod longè maximum est pietatis impedimentum) eruditus omni sapientia, nimirum non artibus solum, sed & superstitione (ut credibile est) Ægyptiorum: his remoris minimè retardatus aut irretitus, Deo se totum addixit & rebus divinis (Deo vocante) incubuit.

Nam [illegible]. Errantes suis fiunt errandi exemplum. Thucyd. 5.

Non est igitur ut quenquam stemmatis splendor, corporis venustas, aut robur, magnatum

Cap. 2.

natum favor, voluptatum, dominationis, opum illecebræ, humanæ sapientiæ & superstitionum laquei à vera religione amplexanda aut promovenda detineant. Nisi velit θεομαχεῖν, divino spiritui obluctari, & *Dei in se consilium rejicere*. Deus enim conspicuis hisce, & hujusmodi beneficiis hos * ad majora vocat: Et jussit, suisquè mandavit præconibus. *Ite, inquiens, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti.* Manifestò constat, quòd cum tempus præstitutum quo posteri Abrahæ ex servitute Ægyptiaca erant manumittendi, & in terram promissam transfretandi, appropinquasset; *nihil Mosen, nihil populum Israeliticum* in terra suæ peregrinationis & afflictionis potuit occludere. Omnes rerum tum secundarum, tum adversarum flatus & æstuationes ad illorum faciebant abitum. Nunc autem si *tempus vocationis Iudæorum*, *si conversio Gentium reliquarum* ad verum Dei cultum, si *demolitionis imposturarum Turcicarum*, *superstitionis Papisticæ, & hæreseos*; si tempus *victoria in omnes Dominationes & potestates* Christum impugnantes instet: (instare autem hæc non levibus deceptæ quorundam mentis conjecturis, qui plura eaq; fidei incertæ comminiscuntur, sed gravissimorum & modestissimorum Theologorum judicio docemur;) Si lux Evangelii per annos jam 100. & amplius, resuscitato artium, antiquitatis, linguarum studio, ad hæc viam sternit, & majorem adhuc Evangelii propagationem exspectare nos suadet, & persuadet: si tempus, inquam, illud instet; nihil orbis

ut Pharisæi Luc. 7. 30.

* *ut Israelitas.* Jos. 14. 2, &c.

bis magnates, nihil plebem inferiorem à veritate sincero animo colenda & propaganda removebitur: si modo junctis viribus potestas civilis & ecclesiastica hæc seriò conetur. Sufficiat in hæc obiter digitum intendisse, & breviter singula perstrinxisse, ut ad reliqua pergamus, eaquè, qua par est, brevitate percurramus.



Cap. III.

Argumentum.

Felix Ecclesiæ status quarto in loco obscuratur & impeditur crebris Ecclesiarum reformatarum rixis & controversiis; nam hæ Ecclesiæ, etsi multum in veritate propaganda profecerint: tamen non necessariis altercationibus seculo priori consitis, nimis student: quæ pastores inter se committunt, & populi animos exacerbant, & omnia ad summum religionis & pietatis detrimentum interturbant.

AT quid tandem? nullanè culpa in reformatarum Ecclesiarum filiis? licetnè heic corpus sine omni ruga, nævo, macula conspiccere? nequaquam. Fatendum est, nullam antehac unquam; nullam jam, nullam posthac extituram in terris Ecclesiam omni alienam & expertem macula, crimine & culpa. Opus fuit omnibus

Ecclesia nigra est, sed decora.
Cant. 1.

Cap. 2. omnibus antiquitùs, est eritque eorum po-
Eph. 5. 26 steris, ut à Christo purgentur & abluantur.

4. Quarto igitur in loco per nos ipsos in Ecclesiis reformatis stat, quò minùs eximia Dei dona & promissa compleantur, & in nos pleno alveo deriventur. Detur illud, & ad Dei gloriam agnoscatur, quod meridiana luce clarius experimur; nempe nos è tenebrosissima abyssi caligine, & superstitionũ impietate per annos jam complures emersisse, lucémq; Evangelii quotidié inclarescentem videre; Regibus & magistratibus politicis libertatem à Papæ tyrannide esse restitutã; potestati Ecclesiasticæ suũ in subordinatione ad Regiũ sceptrũ nitorem, sine illimitata super omnẽ Dominationẽ licentia, redditum; scripturarum fontes omnibus patere populis & linguis adeundos; grande illud superstitionũ jugũ ab omniũ cervice sublatũ. Dei gratia, Principum cura & autoritate, Præsulum & Cleri vigilantia in his strenuè fuit desudatum: & multum (Deo nostro omnis sit gloria & honos) profecimus: & indies magis magísque progredimur, & ad ulteriores perfectionis gradus tendimus.

Pauca tamen subsunt veteris vestigia fraudis, non tam in Ecclesiis quàm in Ecclesiæ filiis quibusdam morosis & pertinacibus. Nam tam densæ antea nebulæ orbem obtenebrarant, & veritatis lumen obscurarant; tanta rubigo verum aurum & argentum Dei infecerat, & splendorem ejus exederat; tanta seges herbarũ noxiarũ in horto Dei succreverat, & herbas utiles suffocarat, tantus

tus paleæ acervus triticum absconderat, & ad glandes rursus comedendas adegerat; ita superioribus seculis invaluerat injustitia, luxus, malitia, philautia, superbia, ambitio, implacabilitas; ut nec citò nec facilè à corruptissimo & ægerrimo statu ad sanitatē fieri posset regressus. Majorem adhuc lucis splendorem, monetæ divinæ nitorem, plantarum Dei manu consitarum viriditatem, tritici ad animarum refectionem, cribrationem expectamus & oramus. Plures sunt *operarij, qui vites colant & putent, in vineam Domini*; *plures pastores, qui oves quasdam etiamnum palantes ad gregem ducant, in pascua Domini mittendi*. Veteres quidam morbi, in obscuris temporibus sati medicam adhuc exposcunt manum: pastoribus victus suus jamdudum ereptus est restituendus, ut liberiùs & animosiùs ad opus à Deo sibi concreditum, insurgant; hæ nos adhuc offensæ gravant; sub harum onere pressi laboramus & ingemiscimus. At illud nos solatur; quòd malorum nostrorum sensu afficimur, medelam exquirimus; & ad sanitatis firmioris perfectionem annitimur. Atq; heic laudanda et debitis præconiis est incitanda Regum et Principum magnanimitas et veritatis Zelus; qui *non tam gladio suo pro Christo militant, & veritatis assertores defendunt, quā gladio Christi*, verbo scil. *ab ejus ore prodeunte cupiunt omnia Regni Christi impedimenta & obstacula succidenda*; nec nō *Cleri* vigilantia et studiū, qui *manent in iis, quæ è verbo sacro hauserunt*; qui conatibus indefessis scripturarū sensū eruūt; et in sacris concionibus *lacte potant infirmiores, esca firmiore adultiores pascunt*:

Mat. 9. 38.
Joh. 10. 16
Psal. 72. 11
Es. 49. 23.
Apoc. 2. 16.
Apo. 19. 15.
Quod jubetur Timotheus. 2. Tim. 3. 14.
ut Paulus Heb. 5. 12, 13.

Vnum

CAP. 3.

Grave est Quando τὸ αὐτὸ ὑγιαῖνον ἐφ' ἑαυτὸ ἐμερίσθη. Pars hominum sanior in sectas scinditur. Bazil. Epist. Instar gangrenæ corrodunt. 2 Tim. 2. 17. 1 Cor. 3. 3.

Unum tamen, unum, inquam, adhuc restat in reformatis Ecclesiis dolendum maximè & amovendum. Controversiæ scil. & lites in rebus sacris complures; eæque maxima tum animorum exacerbatione, tum verborum acrimonia exagitatæ. Hæ impediunt, & pastores inter se comittentes in morâ sunt, quo minus junctis viribus & unanimo consensu ad opus Domini sese accingant, Christi Regnum dilatent, & sine omni animorum distractione candidè & sincerè fidem Christianam, Spartam quam nacti sunt, ornent. *Adhuc* (ut olim suis Corinthiis divus Paulus) *carnales sunt verbi* præcones (non ut inter Corinthios, auditores tantum, sed &) præcones, inquam, & *populus carnales sunt; & lactis potu, non esca alendi. Nonne enim carnales sunt; cum inter eos sunt invidia, & contentiones, & dissidia? nonne carnales sunt, & secundum hominem ambulant?* Etenim cum dicit hic, Ego sum Lutheri: Ille, ego sum Calvini, &c. nonne carnales sunt? Quis est Lutherus, quis Calvinus &c? nisi ministri per quos credidimus, ut cuique Dominus dedit. Lutherus plantavit, Calvinus & cæteri plantarunt: alii supervenientes rigarunt: Deus dedit incrementum. Si *Deo debitum denegemus honorem, & carnali hominum admiratione superbiamus; si auribus pruriamus & secundum peculiares nostras cupiditates doctores nobis coacervemus;* quanta ad calamitatem nostram (nisi Deus prohibeat, & saniores nos efficiat) patebit fenestra? Certè non solum nos copiosa illa in nos jam effusa gratia indignos reddemus, sed & viam

ut illi Ioh. 5. 44. 2 Tim. 4. 3.

Evan-

CAP. 3.

Evangelio in remotioris orbis partes annuntiando obstruemus, & felici Ecclesiæ conditioni ultimis temporibus promissæ spem omnem præcidemus. Constat Deum jussisse, ut *ad Evangelij convivium quivis boni maliq;* (sic verba habent Domini invitantis) *vocentur*; & servis suis, viris ad summas autoritatis speculas evectis, & præconibus, quibus tubã sacrã ad populum cõvocandũ in manus tradidit, imperasse: ut *invitent, ut rogent, ut cogant quosvis intrare ad convivium.* Ubi non est, ut quisquam vim inferendam exspectet: Satis est, nec desunt suo officio servi, si omnem moveant lapidem; *si instent tempestivè, intempestivè*, si verbo, si exemplo præeant, si nullam occasionem populi invitandi ad sacras epulas sibi sinant præripi. Jam verò si servi hi dies noctesque insumant rixando & litigando de hujus convivii ferculis & dapibus, de coquorum & conditorum arte; si tam grave, quam necessarium, tam Deo gloriosum, quam humano generi utile munus invitandi ad Divinum hoc epulum negligant; longè maxima hominum pars mundanis sese satiabunt bellariis; ad divitias, honores, voluptates divertent, & his ingurgitandis incumbent: cæteri autem in partes abibunt invitantium, & officio sese suo abundè satisfecisse censebunt, si contentionis prunas ab aliis accensas ipsi flatu foveant, & in flammas faciant erumpere. Comperimus certè eam esse hominum conditionem ad suum malum pronam, ut multi stomacho sint languenti, alii delicatulo, quidam nauseabundo ad sacrosanctum hoc

Mat. 22. 10
Luc. 14.
2 Tim. 4. 3.
1 Tim. 4. 12

Cap. 3. hoc convivium. Jam verò si de cibis & condimentis hujus convivii ita vehementia & acerba incrudescant jurgia; ut hinc inde coqui et nuntii invitantes sese mutuò criminentur noxias, exitiosas, venenosas dapes apposuisse, neutiquam est mirandum, si convivæ vocati multa causentur; si obstinatiùs recusent convivium accedere, aut horreant tremantque dubiam cænam attingere: & famelici & inedia confecti, sibi edulia, qualiacunque possunt, in recessu aliquo clanculari & furtivo pinsant, & deglutiant. Quàm grave autem peccatū sit populum à Dei cultu, malè res divinas administrando, avocare, & in religiosis officiis segnes efficere, apparet 1 *Sam*.2.17. *Ex Eli filiis, qui suis peccatis fecerunt Dei populum Tabernaculum & cultum divinum odisse*. Veruntamen heic scio sese excusaturos disputatores istos & controversiarum artifices. Quòd nimirum veritati patrocinantur, & doctrinam nobis à Deo traditam propugnant, contra adversarios malè feriatos hanc omnibus machinis impetentes & oppugnantes. Esto sane. Zelus ille laudandus, qui pro Deo militat: qui hæreses manifestam & expressam in sacris literis doctrinam subruentes eliminat. At quid si heic litigetur de doctrinis minimè necessariis, de opinionibus hominum dubiis quæ scripturæ potius assuuntur, quàm è scriptura eruuntur? Quid si hominis alicujus famæ, & nomini, qui nobis μὴ γὰρ τῷ *digito monstrandus* perhibetur? Quid si nostro honori & existimationi velificemus, mordicùs ea propugnantes; quæ inscitè, temerè aut casu

Cap. 4.

nobis exciderunt? Quid si contradicendi studio sine justa causa (ut mos erat Academicis) omnibus adversemur? Quid si ingenii ostendendi gratia, nihil tam horridum esse putemus, quod non splendescat oratione; aut absonum, quod dicendo & arguendo non fiat probabile? Tot controversiarum volumina, tot declamationes virulētæ, clamores Stentorei, criminationes felle oppletæ liquidò demonstrant, non divinam veritatem defendi; cujus oratio simplex esse debet, *cùm lenitate adversarios erudire*, & paucis absolvi: sed oleum operámque insumi, profundi & pessimè collocari in non necessaria altercatione, & otiosa verborum reciprocatione. Indubium est Monachorum fratrúmque otium, istiusmodi temporis dispendio originem & ansam dedisse, ad hæc & similia bella classicum cecinisse, nec adhuc receptui signum dare. At quorsum in Ecclesia reformata ista tum temporis, tum verborum profusio? quorsum non necessariis disquisitionibus Ecclesiæ pacem & veritatis propagationem abrumpimus? Constat sanè primò, quod eadē sēper fuit antehac religionis, quod ad ejus substantiā spectat, summa; eadem fides in semine mulieris caput serpētis cōterēte. 2°. Quod Apostasiæ, hæreses, schismata, sectæ, peccata quædā, nullo nō seculo erupere: quæ iisdē semper armis à Deo, iisdē semper argumētis ab hominibus erant subversæ. 3°. Quod licet disputationi & veritatis examinationi semper locus erat: non tamen in idem altercandi & litigandi prolubium & largitatem est deventum. Si itaque

1 Cor. 2. 1.
2 Tim. 2. 25
1 Cor. 4. 20

CAP. 3. que sagacius trutinemus quid ab initio mundi ad ultima ejus tempora actum sit pro vario rerum statu & ingenio: priorum & saniorum temporum exemplo constabit; quam vel necesse sit controversiis frena laxare, & pleno cursu ejusmodi certaminum spatia decurrere, vel rixis & disputationibus modum ponere, lites scholasticas cribrare, earum numerum minuere, si non maxima ex parte tollere, & complures prorsus extinguere.



CAP. IIII.

Argumentum.

Constat Deum, quantum satis erat ad hominum salutem, Religionis capita de fide in Christo, & operibus charitatis in proximum, & reliqua huc spectantia, patres ab Adamo ad Mosem docuisse. Illos vero tum beneficiis eximiis ad officium suum excitasse, tum pœnis gravioribus Cainum & Nimrodum cum suis Apostatas, & levioribus minus insigniter peccantes coercuisse & domasse. Etsi vero Ecclesia illis temporibus in errores quosdam opinionum & morum vitia lapsa sit: non tamen in rixosam controversiarum minus necessariarum ventilationem, qualis jam nostram infestat ætatem, prorupit.

QUod ad prima mundi tempora attinet, scimus Deum admirandæ & gloriosæ structuræ opificem *Adamum creasse ad suam ipsius imaginem*, omnibúsque eum tum animi, tum corporis divinissimis instruxisse dotibus: eique dedisse potestatem & arbitrium persistendi in felici hoc statu junctum cum possibilitate cadendi: ita ut liberum fuerit Adamo, & in ejus situm fuerit arbitrio velle Gen. 1. 26. Eph. 4. 24.

Cap. 3.

& posse labi & deficere. Postquam verò lapsus est & defecit; Deus misericordiarum pater nolens mortem peccatoris, primo loco Adamū & Evā ad sensum transgressionis & pœnitentiam adduxit. Deinde voce Evangelii illos solatus est, erexit, beavit; *semen, inquiens, mulieris caput serpentis conteret: Deinde tandem*
Gen.3.11. *Deus docuit Abrahamum sese in semine ejus be-*
Gen.3.15. *nedictionem omnibus Gentibus impertiturum, &*
Gen.22.18 *tandem Iacobum & Patriarchas quendam ex*
Gen 44. *tribu Iuda oriturum, in cujus nomine gentes spe-*
Es.42. *rarent.* Sic Ecclesiæ hujus primitivæ fides fundamentum, cui inniteretur habebat Christum. *Is Petra erat*, cui confidebant, *is salvator* cujus
Deu.32.31 diem læti prospiciebant. *Per fidem in eo legi-*
Heb 11.
Joh 8 56. *mus Abelem Deo placuisse; Enochum cum Deo ambulasse, Noam cum octo animabus à di-*
Heb.7. *luvio fuisse servatum, Melchizedechum Regis & Sacerdotis partes egisse, Abrahamum justum*
Heb.11.8. *coram Deo apparuisse, Saram ætate provectio-*
& 11. *rem Isaacum peperisse; qui cum Iacobo & cæteris fidelibus cohæredes erant ejusdem promissionis.*
Heb.11 9 De horum verò fide & pietate facta præcipuè est mentio; quia hi suo tempore reliquis, tanquam φωςῆρες ἐν τῷ κόσμῳ, *lumina in hoc mundo* ad
Membra ec- Dei gloriam prælųxerunt. Verum cæteri eti-
clesiæ.Gen. am patres sancti & fideles gloriosis enco-
6 2. miis cohonestantur, & *filii Dei nuncupantur.*
Gal.3.23. Cum verò *universa Adami propago ad cor-*
Gen.5.3. *ruptam tum in Adamo imaginem essent pro-*
1 Cor.15. *creati, & mortui sub peccato jacerent, & Dei*
22
Rom.3.23. *gloria destituerentur: non potuerunt filii*
24 25. *Dei evadere, nisi gratia Iesu Christi justificarentur,*

CAP. 4.

rentur,& per fidem in sanguine ejus reconciliarentur; & necesse habebant per Spiritum Dei, verbum promissionis prædicatum, & ritus à Deo institutos (quos omnes ad populi captum, ut quæque ætas ferre potuit, sapiens Deus attemperavit) *regenerarentur. Hæc fides tunc illis, & nunc nobis cum illis communis est: in qua si persistemus, nos cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo* (nec potior nobis sors & conditio potest contingere) *in regno Dei considebimus; & in Semi Tabernaculo habitabimus.* Hæc fides primos illos patres ad ambulandum in viis Dei, in pietatis & charitatis tramite, & ritus sacros observandum exsuscitavit. Quorum capita quædam insigniora (ut in historica narratione Spiritui Sancto visum est) à Mose vel expressè memorantur, vel non obscurè innuuntur, vel alibi à Deo celebrantur. Inter quas sunt *Dominium in res omnes inferiores; prædicatio justitiæ per fidem in semine promisso; benedictio posterorum in vera fide permanentium; denuntiatio iræ divinæ contra rebelles & impios; exspectatio cælestis civitatis; terrestris hujus vitæ & terræ corruptæ despicientia; recta nominis Dei invocatio; Sabbati sanctificatio, purificationes, institutiones liberorum ad vocationes vitæ necessarias, ut Caini ad agriculturam, Abelis ad gregis & armenti curam; consecratio partis alicujus proventuum ad usus sacros. In Adami & patrum reliquorum morte viderunt humanitatis suæ; in Enochi translatione, ascensionis; in Paradiso felicitatis futuræ typum.*

Joh.3 5, & 8.
Tit.3.5.
Iac.1.21.
Tit 1.4.
Mat.8.11.
Gen 9 27.
Heb 11.
Gen 1.28.
Gen 9.2.-
1 Pet.3.19
2 Pet.2. 5.
Iud.14.
Heb.11.14 15,16.
Gen.4 26.
Gen 2.7.
Gen.33.2.
Gen.4.2, 3.4.
Gen.28.22
Gen.5.
Gen.5.24.
Christus vincendo Satanam ad arborem vitæ in Paradiso viam facit.

CAP. 4.

Unde noverunt etiam bene agentibus & fidelibus dari remissionem peccatorum, per gratiam in Christo: pœnas verò manere improbos & male agentes suo merito debitas. Inter sacros autem & civiles ritus fuit *observatio animalium mundorum & immundorum, nuptiale jugum cum uxoris subjectione, primogenitura & duplex portio solvenda primogenito familiam ducenti, docentique; decimæ votivæ è spoliis in bello captis, & è justis in vita laboribus emergentes Dei sacerdoti solvendæ; coloniarum in varias terrarum partes deductio; errantium fratrum ad Semi Tabernacula & verum Dei cultum reductio; sacrificia & oblationes variæ; agnus mactatus ab initio mundi*, typus nimirum Christi suo tempore mactandi; de quo Baptista: *Ecce, inquit, agnus Dei, qui tollit* (& penitùs suis meritis aufert) *peccata mundi*; cujus justitia Adamus & omnes fideles erant induendi. *Nec enim sanguis agnorum ab initio mundi sæpe à patribus occisorum, & à Jobo quotidie; sicut nec ab Aarone & ejus filiis mane & vesperi indies oblatorum, nec sanguis taurorum & hircorum æternam patriarchis conciliare potuerunt redemptionem.* Hæ & aliæ religiosæ & civiles observationes legibus Mosaicis consonæ, & ante Mosis tempora usurpatæ, luculenter ostendunt *illas, sicut etiam circumcisionem, à Mose datas fuisse, non quod à Mose sunt, sed quod à patribus.* Hi scilicet hos ritus suo quosque tempore à Deo ante vel post diluvium, acceperunt. Si enim Mosi necesse fuit hanc doctri-

Gen. 3. 15. 24. Gen. 4. 7. Gen. 7. 2. Gen. 3. 16. Deu. 21. 17. Gen. 14. 20. Gen. 28. 22. Gen. 9. 1. Gen. 9. 27. Deu. 33. 19. Lev. cap. 1. & 2. & 3, &c. Apoc. 13. 8. Joh. 1. Gal. 3. 26. 26. Heb. 9. 12. Job 1. 5. Ex. 29. 39. Joh. 7. 22.

doctrinam à Deo traditam discere & acci- CAP. 4.
pere post defectionem Israelitarum in Æ-
gypto à vero Dei cultu; qui antea Ecclesiæ
filiis erat in usu: fieri non potuit, ut Ada-
mus & patres cæteri post primum lapsum
suopte ingenio ritus sacros & politicos Deo
gratos qui tunc primum erant in usu, exco-
gitarent. Cum verò *Mosis celebretur fideli-* Num. 12. 7
tas, qui omnia fecit secundum exemplar sibi in Heb. 3. 5. 6
monte à Deo indicatum; qui nihil addidit, Ex. 25. 40.
aut omisit: an non & nos eandem Patri- Heb. 8. 5.
archarum censebimus fidelitatem in rebus ci-
vilibus & sacris & ἐθελοθρησκείας cultus omnis à
Deo non mandati detestationem in rebus sa-
cris? ad quos Jehova & Angeli tam crebrò
memorantur descendisse, & divina cum iis
colloquia familiariter miscuisse. Liquidò au-
tem patet, nos eandem, si rem ipsam specte-
mus, habere religionis summam, quam pri-
ma illa tempora: Quoniam *Paulus & fide-* Act. 2. 39.
les omnes è Gentibus sunt filii promissionis A- Rom 4. 16.
damo factæ, & fœderis cum Abrahamo initi. & 24.
Qui fuit illorum, etiam noster est in Christo Rom 9. 8.
Deus. Nam Deus in Christo statuit ἀνακεφα- Gal 3. 7.
λαιώσασθαι *summatim colligere omnia, tum quæ in* & 14 & 29
terra, tum quæ in cælis. Nempe Christum Eph. 1. 10.
ita caput totius Ecclesiæ constituere; ut e-
jus membra sint, & ad ejus regnum perti-
neant omnes fideles à primis usque ad ex-
trema mundi tempora. *Iesus Christus heri* Heb. 13. 8.
& hodie, idem est & in secula. Sumus igitur
nos etiam concives Sanctorum, & domestici Eph 2. 19.
Dei, cohæredes, concorpores, & consortes pro- Eph. 3. 6.

 missionis

CAP.4. *missionis in Christo per Evangelium primitùs*
Rom.11.8 *protoplastis patefactum ; Deinde suo tempore*
Eph.3.5,6 *nobis revelatum firmatúmque. Hae eadem per*
Luc.1.7.. *os sanctorum prophetarum, qui fuerunt ab initio mundi locutus est Deus.*

Hæc admiranda fuit Dei omnipotentis bonitas, hæc rerum creatarum cura, hæc providentia, qua mundum administravit; at qui bonus est & beneficus, idem est & justus.
Lev.26. Et *mundum non præceptis & promissis solùm*
Deut.28. *erudit, & beneficiis & donis ad pietatem excitat, sed & castigationibus & pœnis à malo*
Job.1.6.
Apoc.5.11 *coercet. Quare cum Spiritus quidam cælestes, thronum Dei circundantes, ministri ejus sapientia, robore, celeritate præcellentes* (nec enim qui verbo & nutu potest omnia, sine his instrumentis mundum voluit regi, aut creaturam hujusmodi ad perfectionem universi deesse) *cum nonnulli, inquam, ex his* (cæteris Domini
Psa.148.6. Tzebaoth exercitibus inferioribus legi di-
& 8 vinæ sese submittentibus) *Dei non exspe-*
Gen.3.5 *ctantes imperium*, ut servos oportuit, *sed ei obluctantes, proprio motu & volun-*
Ioh.8.44. *tate facti sunt ἀνθρωποκτόνοι, hominum occisores et in primis nostris parentibus*, humani
1 Cor.15. generis compendio, totam humanitatis
22. massam fermentarint, *omnes fecerint morti obnoxios*. Deus creaturam hanc divinissimis dotibus præ cæteris instructam, *non*
Jud.6. *servantem suum sub Deo Principatum*, sed actionum suarum principium sibi arrogantem, ab οἰκητηρίῳ *domicilio lucis in tenebras*

nebras æternas detrusit, *&* *ad ignem inextinguibilem adjudicavit*. At Deus idem 2 Pet 2.4. abundè misericors *Adamum* *&* *Evam*, Gen.3.1. non sua sponte & motu, sed *fraude & insidiis vafri Satanæ lapsos*, *nec scientes nec* Gen.3.8. *quærentes tanti mali remedium*, *ultrò accedit*; &c. *eósque quasi paterno quodam affectu reprehendit*: Deinde docet, pro infinita sua bonitate, qua ratione per *fidem in semine mulieris*, *ex hac misera & deploratissima sua conditione ad feliciorem emergerent*. Monstrat enim futurum, ut tandem subdolus *hic serpens calcaneum quoque secundi* Heb.2.14. *Adami terebraret*, *&* *instar agni innocentis eum mactandum curaret*: *ita tamen ut in hac lucta ipsum caput & omnes serpentis machinationes contererentur*; *ut* Rom.5.10 *semen mulieris mortem pro nobis*, *qui* Heb.2.9. & 14. *mortis æternæ pœnam eramus promeriti*, 1 Cor.15. *subiret*; *moriendo tamen vinceret*. *Verum* 54. *impius Cain verbum Dei non* (*ut* Gen.4. *Adamus*) *fide immota & indubia apprehendit*; *sacrósque & religiosos ritus potius pro more*, quàm sincero pietatis Zelo exsequitur: & cum sua culpa *minùs sibi propitium senserit Deum*; *fratrem Abalem pium & gratum numinis cultorem interemit*. Cum verò Deus hunc ad judicii sui tribunal stitisset, tantùm abest à pœnitendo instar Adami qui nuper in gratiam per fidem in Christo receptus est, *ut Deo responset & obloquatur*. Ejus verò posteri patris malesani potius

quàm

CAP. 4.

quam Adami & cognatorum sanctorum exemplo & consilio, in eodem impietatis &
Gen. 4. 17 malitiæ furore persistunt. Siquidem eorum studia à Mose summatim perstringuntur.
Gen. 4. 22. 23, &c. Qualia sunt *civitatum structura, & tyrannidis per armorum inventionem obfirmatio*,
Gen. 6. 4. qua sanctam politiam interturbarunt; *sanctarum concionum, & pœnarum à Prophetis*
Jud. 15. *denuntiatarum irrisio*, qua Ecclesiæ potestatem, & ordinationem divinam contempserunt. In horum veró animis altiùs insede-
Mat. 24. 39 runt *ineffrenata carnis libido, importuna musices voluptas, Epicurea epularum festivitates*, quibus castas œconomiæ leges vitiarunt. His deliciis abrepti prorsus & immersi scelus
Gen. 6. 2. suum propagant. Nam *suis his illecebris filios Ecclesiæ inficiunt*, & ad religionis neglectum, vitæ impuritatem profanámque securitatem abripiunt. Tandem veró eò Apostasiæ in in toto genere humano erat deventum, *ut*
Jud. 14. *nec divina iræ denuntiatio per Enochum sa-*
2 Pet. 2. 5. *crosanctum Dei prophetam*, nec *sermones Noæ, qui insignis justitiæ erat præco, & oculari*
2 Pet. 3. 20 *arcæ fabrica monitor non contemnendus*; nec lacrimæ, nec preces patriarcharum reliquorum, qui singulari sanctimonia, veneranda canitie, & paterna autoritate obduratissimorum corda jure potuissent mollire, obstinatam & obfirmatam horum malitiam ad mentem consultiorem & saniorem reduxerint:
Gen. 7. 1. *Deus justus index* (subducto prius fidelium à
2 Pet. 3. 20. communi clade cætu) *reliquum mundum universum cataclysmo inundat, & obruit*. Quippe cum

cum Dei nuntios * subsannarint, & deriserint, Cap. 4.
tantæ insaniæ nullum relictum erat remedi- * ut 2 Ch.
um, & curatio. Sed, ut recte exterus dixit 36. 16.
propheta, in hoc rerum statu

—est immedicabile vulnus Ovid.
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

Deinde licet per aquas diluvii magna facta fuit scelerum purgatio: impietas tamen super fluctus illos altissimos caput exeruit altior, & enatavit incolumis; & inter Noæ posteros nondum Dei irâ satis territos, attritósque invenit hospites & fautores satis superque benignos. *Nimrod enim Chami nepos famosus piorum venator, & tyrannus* * insaniæ cestris abreptus (ut Cainitæ illi ante diluvium) *volens nomen suum in terris inclarescere, sese ad turrim molis ingentis extruendam accinxit:* cujus ope sese suósq; sartos tectósq; fore speravit: nec (ut urbes Cainitarum in diluvio) perituros. Cum verò jussisset *Deus ut homines satisficarent, & terras replerent sanctis,* nempe postea cælo incolas daturis; Deo heic quoque obluctatur, & cæteras familias non vult in partes remotiores colonias sanctas deducere: sed Apostasiæ suæ participes secum in tanta impietate conspirare. Siquidem *venator erat,* & venatorum more quosdam fraude, & tectis laqueorum nexibus, alios vi & autoritatis & potentiæ suæ terrore in suas trahit partes. Tum verò *cum his ausis obsistere non poterat sanior mundi pars:* cum nec divinum consilium prophetarum, nec moderatius sanctorum exemplum, qui Deo tam pro

Gen. 10. 8.
* Hæc erat μανία φρενήματος ἐκ τοῦ πτ. Euseb. Hist. 1. 3.
Gen 11.
Gen 9. 1.
Gen. 9. 10.
Gen. 11. 6.

Cap. 4. corporum quàm pro animarum salute, non suis confisi sunt consiliis & machinamentis (ut structores Babylonici) à proposito non detinuerit, venit tandem dies Domini & vindictæ
Gen. 11. 9. divinæ. Nam Deus *linguarum confusione* pœnâ longè gravissimâ, *& dispersione in varias mundi oras ausus & conatus illos superbos compressit*, & rabiem impetuosam restinxit. Unde factum est, ut ad linguæ sacræ intellectum surdi, sacras conciones, & ritus religiosos à pro-
Ps. 147. 20. phetis & sanctis in *Semi tentoriis* usurpatos, quos prius noluerant, nunc non possent audire & ediscere. Exclusi antem ab Ecclesia
Rom. 1. 21 &c. ritus antiquos & *doctrinam à Deo patribus traditam incestarunt, sua culpa mentis sua erroribus traditi, pro veritate somnia, & deliria sua deblaterarunt; novos Deos adorarunt, novum & impium cultum excuderunt.* Cujus aberrationis vestigia * obiter taxat sacra Scriptura; pleniores verò ejus deviationes in Ethnicis Scriptoribus licet videre. Præterea *Thara * pater Abrahami in Mesopotamia in idololatriam lapsus est; Nahor filius Thara Deum sibi fecit, quem Laban filius ejus juravit; Laban Deos habuit surreptibiles, quos Rahel uxor Jacobi dilecta clam surripuit; Ipse Abraham fuit ... & in eadem superstitione enutritus; Israelita verò posteritas Jacobi in Ægypto à vijs Dei & pietatis declinarunt.* Eo nempe sunt ingenio homines & mutabilitate, ut ad impietatem proni flectantur. Sed Deus postremos hosce, quos permisit cadere, noluit

* *In Dijs Philistæorũ Sidoniorũ, Syriorum, &c. passim &* Act. 17. 29. Ps. 115. 4. Eze. 20. 32

* Jos. 24. 2. Gen. 31 53 Gen 31. 30. Rom. 4. 7. Eze. 20 8.

noluit in Idololatriæ errore diu jacere. Cap. 4.
Nam *Abrahamum ad Semi tentoria è regione* Gen. 12. 1.
Chaldæorum superstitosa revocavit, &
cum eo Tharam, Saram, Lotum, & alios com- Gen. 11 31
plures. Postea verò Rebeccam & Leam, Rahe-
lémque è terra etiam nativitatis suæ & cog-
nationis subduxit, & ad majorum suorum Gen. 24. 58
Deum & verum ejus cultum restituit. Jam Gen. 31. 18 Gen. 17. 4.
fœdus gratiæ in Christo cum Abrahamo fuit
initum: Abrahamus *verò sæpe altaria strux-*
it, Deo sacrifica & oblationes tulit, Jacob Gen. 13. 1.
autem Deos alienos familiæ suæ in Mesopota- Gen. 15 9.
mia, ablatos sub quercu defodit, & terra hu- Gen. 35. 5.
jusmodi Numinum matri concredidit sepultos.
Quare Idololatria in horum pectoribus altiùs radices non egit, sed instar arboris terræ nuper infixæ, statim fuit exstirpata.
Quod verò Israelitas in Ægypto attinet,
quoniam hi à vijs Domini declinarunt, & Eze. 23. 3.
idola Ægyptiorum coluerunt; Deus hos mul- & 8. & 27.
tis afflictionibus domuit, tradiditque Pharaoni
oblito Josephi benefici, hos inquam, errantes Exod. 1. 13
à pietate Josephi, & patrum religione, gra- Exod. 1. 8.
vissimis tradidit oneribus premendos; suo
tamen tempore *promissis Abrahamo, Isaaco,*
& Jacobo factis stetit, & eorum posteros ex Exod. 12 42.
Ægyptiaca servitute liberavit, & in eremo Gen. 15 13
ad pietatem & probitatem, ut pater filium Deut. 1. 31
suum, erudivit. Hinc videmus, quæ sit Dei Deut. 8. 5.
erga obduratos apostatas ira; quibus pœnis morum integritatem & doctrinæ puritatem incessantes frangat, obterátque; aut pœnitentes castiget & à mentis errore ad sanitatē revocet.

Videamus

CAP. 4. Videamus tandem quibus controversiarum anfractibus, in Ecclesia Dei religionis summa patribus communicata erat præpedita, quibus disputationum clamoribus exagitata. Spatiosus certè hic patebat campus, in quo liceret de Deo, de creatione, de lapsu, de fide, de mediatore, de justitia, &c. si patribus collibuisset, in altercationum cursu expatiari. Veruntamen quænam heic quæstiones motæ de Dei attributis & essentia, de mundi opificio, de peccato originali, de persona & officiis redemptoris; de Spiritus efficacia, de Angelis, de sacrificiis, de sacramentis & eorum virtute; de prædestinatione filiorum Sethi, & Noæ, & Abrahæ; de rejectione Caini & ejus posterorum, Nimrodi & ejus coadjutorum, Ismaelis, &c; de fide & ejus objecto & actu; de Ecclesia Dei ejusque notis & autoritate, &c. de autoritate seculari & Ecclesiastica, de libero arbitrio, de justificatione, de bonis operibus, de statu mortuorum, de imaginibus & eorum cultu, &c. *Celebratur fides patriarcharum* Heb. 11. *procul dubiò non cæca, sed in omnibus fidei articulis necessariis oculatissima, non otiosa, sed in omni pietatis & charitatis genere operosa.* Hi autem vitæ cursum confecerunt amplissimum, collegium & societatem inierunt multorum seniorum per plures annorum centurias unâ viventium. *Adamus* (liceat enim Gen. 5. instare) *vixit cum Setho annos* 800, *cum Enosho* 695, *cum Kenan* 605, *cum Mahalaleel* 535, *cum Iared* 470, *cum Enoch* 308,

cum

cum Methuselah, (qui Sem in pietatis cursu poterat instituere annos ferè centum,) 243, *cum Lamech* 56; *Sem verò vixit cum Methusalem* 97, *cum Lamech* 92, *cum Noah* 447, *cum Arphaxad, cum Sala, cum Ebero circiter* 430, *cum Peleg & Regu circiter* 239 *cum Serug* 230, *cum Nahor* 149 *cum Therah* 205, *cum Abrahamo* 150, *cum Isaaco* 50. Vnde liquet horum omnium meditationes (nec enim rerum externarum curâ multùm distrahebantur) accuratiori limâ potuisse argumentorum omnium subtilitates excogitare & solvere; nobísque si necessariam eam duxissent cognitionem, delineare; quid de tot fidei articulis, quid de tot in morum praxi controversiis, quæ in nostra hæc rixosa ventilantur ætate, esset statuendum; & filum nobis Ariadneum (si ita Deo visum fuisset) relinquere. Apparet certè *hos Patriarchas cum filii ex iis quærebant; quid sibi volunt hæ religiosæ observationes & ritus? cur hoc vivimus morum instituto? responsa è sacris suis pectoribus ad posteritatem informandam deprompsisse; quæ non chartis erant illinenda, sed filiorum menti mandanda & viva voce futuris seculis transmittenda.* Cum verò *Deus Mosi præcepit acta Dei & Ecclesiæ literis consignare*; nullæ Patriarcharum altercationes, & de religionis capitibus dissidia recensentur; nulli indigitantur illis temporibus in Eclesia Dei duces & signiferi ad schismata, quorum disputationum aleâ Ecclesia vexaretur, laceraretúrque. *Legimus de*

Gen. 11. 10 &c.

Deut. 6. 20

Deu. 31. 24
Ex 24. 4.
& 34 27.
Act. 7. 38.

CAP. 4. *de particulari Jobi afflicti statu, quam seriæ, pie, & divina maxima ex parte, cum nepotibus Ketura & Esavi extent disputationes.*
Job.4.1. & 8.1. & 11. 1 & 32.2.

Nihil vero est, quod suspicemur nepotes Isaaci aut ingenio obtusiores, aut eloquentia & scientia inferiores ad fidei articulos (si opus fuisset) examinandos, & diverticula quæstionum rimanda. Præterea *accepimus ex Mosis narratione *patrem * mendacii Satanam*, *Jabalem * omnium habitantium in lentoriis, & curantium rem pecuariam*; *Jubalem omnium tractantium citharam, & organa musica*; *Tubalcainum omnium instrumenta ferrea & ænea procudentium, Lamechum polygamiæ*. Quod si quisquam extitisset in Ecclesia his temporibus pater & εἰσηγητὴς doctor novorum rituum, opinionum, expositionum, & contra patres sanctos disputationum & controversiarum clamoribus obstrepuisset; Spiritus Dei hæc obiter & summatim, ut et cæterarum inventionum antesignanos perstrinxisset. Moses certè non præteriit *Gigantea ferocia ad tyrannidem grassantes, familiarum corruptelas ex nuptiis iniquis invehentes; cibo, potui, festivitatibus nimis indulgentes. Ostendit etiam Noam vino*, cujus *vires* prius non erat expertus, *madidum & indecorè nudatum, Lotum oblitum Noa sic devicti, & vini & filiarum dolo malo ad incestuosos concubitus pellectum*: nusquam tamen pugnas in Ecclesia propter animorum dissidia, nusquam sectarum autores, vel hæreticas eorum aberrationes vel nominavit.

*Gen.3.5. Joh.8.44. *Gen.4.20.21.22. Gen.4.23. Gen.6.4. & 10.8. Gen.6.2. Gen.6.5. Gen.9.21 Gen.19.33.

Spiritus

Spiritus Dei, ſiquid ejuſmodi erupiſſet, nunquam alto ſilentio rem tantam ſepeliiſſet: Nam Spiritus hic ſemper ſibi ſimilis in Evangelijs & Actis Apoſtolorum, ubi res ſtrictim & compendioſè narrantur (ut in Moſis etiam hiſtoria) attingit ſcribarum, Phariſæorum & Sadducæorum errores, colloquia, machinationes, diſputationes contra Chriſtum & ejus diſcipulos; nec non & eorum inter ſe concertationes & digladiationes narrat.



CAP. V.

Argumentum.

Post liberationem populi Israelitici ex Ægypto Deus per Mosen omnia religionis capita necessaria fecit scriptis mandari; Et ex 12. tribubus unam ad studia & opera rerum sacrarum vocavit: per Mosen vero, & deinde per Judices & Reges ad captivitatem Babylonicam usque populum suum gubernavit, & ubi opus erat, per prophetas extraordinarie suscitatos erudijt. His vero temporibus ad pietatem & obedientiam pluribus beneficijs allexit, & judicijs non levibus ab idololatria & alijs peccatis revocavit. Quæ verò heic enatæ sunt lites & controversiæ de religionis capitibus paucæ fuere; eæque citò extinctæ, aut non ita acri & prolixa verborum reciprocatione, ut jam nostræ, exagitatæ.

Jam ad tempora *Israelis ex Ægypto in eremum vocati devenimus. Heic Israelitæ & ferculis bonæ illius terræ saturi, & commercio & exemplo Gentis idololatricæ infecti, & magistratuum suorum neglectu, & torpore, ut & humanæ naturæ depravatione corrupti,* *doctrinam*

Exod. I. 7. Num II. 5 Eze. 20 8. Exo. 2. 33. 57 55.

Cap. 5.

doctrinam à patribus traditam ex suis animis sinunt prolabi, & idolis Ægyptiacis sese prosternunt. Deo igitur placuit per Mosen, non solùm Mundi historiam, ab ipso rerum initio arcessere: sed legem etiam divinam æternis literarum monumentis consignare. Cum verò seniorum & præfectorum ætas contractior, nec tanta autoritate aut rerum experientia, aut sacræ doctrinæ studio, ut ante, claruerit; noluit Deus gubernationem populi sui in Gentem numerosam adaucti, & rerum sacrarum curam, quibus quædam sacræ doctrinæ capita accesserant, antiquo ritu *penes principes familiarum esse; quorum major numerus Dei promissis de terra sancta noluit fidem habere: sed Josua & Calebo obstiterunt, & populi animos suâ ignaviâ & infidelitate fregerunt, tum etiam in idololatriam prolapsi sunt & bovem conflatilem adorarunt, cum soli Levitæ Deo & Mosi adhæserint.* Deus igitur Mosen heroïco spiritu & singularibus instructum dotibus *populo huic præfecit Regem*; deinde *verò è singulis tribubus viros primores ad judicia inferiora deputavit; & Aaronem & filios ejus cum Levitis ad sacra munia designavit. Sic* διπλῆ τιμὴ *duplex ille honor & portio propter docendi regendíque munus* * *olim in primogenitos collatus*, in adultiori & valentiori hac Ecclesiæ ætate *dividitur & in duas partes distinguitur.* Ubi enim onus & rerum administrandarum pondus ingravescit, & vires bajulantium sunt imminutæ, hac nova administrationis forma, & commodiore officio-

Deut 31. 24.
Acts 7. 38.
Gen. 4. 7.
Num. 3. 12 & 40.
Num. 14. 32.
Exo. 32. 25
Deut 33. 5
Num. 11. 16.
Ex. 18. 22.
Num. 3. 6. 7, 8, &c.
Deut. 21. 17.
* *Nam Melchisedek, Abrahamus, Isaacus, Iacobus, rexerunt familias & sacrificarunt.*

Cap. 5. rum distinctione, & subordinatione faciliora redduntur omnia. Quod verò populum spe-
Ps.106.13. ctat, *cum Deus hunc invenisset oblitum pla-*
& 21,&c. *garum Ægyptijs inflictarum, & liberationis*
Ex.15.25. *Israeliticæ à duro servitutis jugo, probat* * *siti*
Ex.16. 3. *& victus penuria. Cum autem aquas amaras*
Ex 17.7. * Deut.8.2. *sanasset, rivos è petra fecisset scaturire, de cœlo*
Ex 15. 25. *mannam panem quotidianum immisisset, mi-*
Num. 20 11. *racula miraculis accumulasset; populum uni-versum varijs beneficijs ad fidem in Deum*
Ex.16.14. *tam potentem & beneficum præparasset, & ad*
Deut.4.20 *obedientiam tanto Domino devinxisset:* tum
Ps 105.44. 45. tandem Jehova viva voce decem verba seu mandata promulgavit. In quibus officia pietatis in Deum, & charitatis erga homines,
Ex 20.19. summatim depinguntur. Quoniam verò *po-*
Deut.5 28 *pulus hic terrorem Dei loquentis ferre non potuit, leges illas per Mosen fusiùs* (ut populi captus postulare videbatur) *explicavit & dilatavit.* Heic verò leges sacrificiorum & aliorum rituum, homicidæ tollendi, decimarum, purificationum, animalium mundorum, & immundorum, circumcisionis, & observationum reliquarum, quæ suis temporibus, antea patribus innotuerant, & in usu fuerant, exarantur & pulchro ordine digeruntur. Nec vetera solùm recuduntur, sed nova etiam instituuntur religionis officia & ritus; scil. *solennes festivitates, terræ requies, Jubileum, agnus pascalis, sacerdotium Aaronicum, Levitarum ornamenta & munia, tabernaculi structura, instrumentorum ejus apparatus, pacis bellique ratio, regis & subditorum*

ditorum officia, tribuum distinctio, matrimoniorum leges, personarum & possessionum redemptio, & alia istiusmodi de novo annectuntur. Quid enim opus est, heic reliqua omnia, quæ in sacro contextu perspicuè traduntur percensere? Certissimum est Deum nihil, quod pro temporis ratione, *ad æternam populi sui salutem conduceret*, aut alacriores in divinis officiis efficeret, prætermisisse. Postea autem *tempore Davidis & Solomonis Templum magnifico & grandi apparatu extruitur, & splendida supellectili venustatur; ritus & ceremoniæ permulta, Sacerdotum, Levitarum, Cantorum, Janitorum, & reliquorum ordines & officia accuratè adduntur & distinguuntur. Respub. autem ita varietate & subordinatione officiorum, & prudentissima rerum omnium dispositione perpolitur, ut reges orbis universi*, & quod admirarentur, si boni, & cui inviderent, si mali essent, in Dei peculio intuerentur. Quæ cum ita sese haberent, *oportuit Mosen & Josuam & Judices reliquos, tandem autem reges Davidem, Solomonem, & eorum posteros, suo quemque tempore, populúmque totum, Legem sacram meditari. Præcipuè autem sacerdotum & Levitarum officia postulabant, ut omnis illorum cura & cogitatio legis studio impenderetur. Siquidem par fuit, ut eorum labia scientiam conservarent, & ut populum ab ore suo pendentem erudirent.* His sacerdotibus & Levitis numerosa sobole (siqua tribus alia) suspiciendis, & in eremo per annos 40. viam non 40. die-

Deut. 5. 33
1 Reg. 6. 1.
1 Chr. 24. &c.
1 Reg. 4.
1 Reg. 10. 7.
Deut. 17. 19.
Jos. 1. 8.
Ps. 1. 2.
Ps. 2. 10.
Deut 33. 9. 10.
Deut. 17. 19.

CAP. 5. rum emensis, licuit in tanto otio à Deo illis indulto, religionis apices universos enucleasse. *Nulla etenim vel indumentorum inveterascentium, vel ciborum exquirendorum illos torquebat sollicitudo. Deus scil. eorum ut corpora cælesti rore, sic & animos tum cognitione artificij ingeniosissimi, tum divinâ scientiâ replevit*; & huc non sacerdotes solùm jam initiatos, sed populum etiam totum, priùs crassa sepultum ignorantia, *ad secessum & quietem, tanquam ad scholam & mentis informandæ gymnasium ab* oneribus Ægyptiacis, ut à strepitu forensi remotum, sevocavit. Si quis autem hunc locum studijs & contemplationi minùs accommodum ob crebram mansionum & diversoriorum mutationem opinetur, is denegare neutiquam potest, *sacerdotes et Levitas in urbibus suis Chananiticis* 48. *collocatos, et sacrificijs, primitijs, decimis fructuum alieno labore partorum, et ex agris et campis totius terræ provenientum satiatos, et satis otij nactos, Legis et religionis studio potuisse vacare.* Proculdubiò qui poterant *tot sacrifica* ὀρθοτομεῖν *ritè dissecare, tot tabernaculi, tot templi officijs inservire; tantam cæremoniarum congeriem et cumulum tenere, observare, explicare*; potuerunt etiam religionis momenta omnia ὀρθοτομεῖν rectè distinguere & abditiores ejus recessus, si opus erat, perlustrare. Præterea sicubi Dei sapientiæ visum est, *missi sunt prophetæ sacro spiritu afflati, et Deo à consilijs, qui sacras conciones habuerunt, aut ad* po-

Deut. 8.4. Ex. 16. 14. Deut. 4. 6. Deut. 1. 31 Deut. 8. 5. Num. 33. Jos. 21. 41. Deut. 12. Deut. 14. 22, &c. Num. 18. 21. Lev. 1. & 2. & 3. Num. 4. 4. 1 Cor. 23. & 24. & 25 &c. Jer. 7. 24.

populum immemorem de rebus prateritis commonefaciendum, aut errantem in viam reducendum, aut segnescentem in pietatis cursu incitandum. Hi vero vel prædictione futurarum pœnarum, ad subjectionem divinæ voluntati, & ad pœnitentiam hominum animos præpararunt, vel prædictione benedictionum miserijs & calamitatibus pressos & attritos sublevarunt. Inter hos maximè conspicui fuere *Samuel*, *David*, *Elias*, *Eliseus*, *Esaias*, *cum tribus reliquis majoribus & 12. minoribus*; *obscuriores Gad*, *Nathan*, *Abia*, *Jehu*, *&c.* addamus his & quosdam nomine neutiquam designatos Jud. 2. 1. & 6. 8. & 1. Reg. 20. & 2. Chron. 25. 15. Fuerunt etiam *Deo Angeli*, legati à latere, viribus & Psal. 104. 4. celeritate præcellentes, quorum operâ Deus 2 Reg. 19. usus est ad homines tum defendendos, tum 35. edocendos. Hi crebrò aut errabundos informarunt, aut angustijs pressos animarunt, aut futura ignorantibus secreta Dei patefecerunt consilia. Quod si autem gravior aliquis inciderit nodus, *Deus ipse vel de cœlo, vel ab arca Testimonij respondens*, & sacerdotum sub- Exod. 25. venit inscitiæ, & populi necessitati dignatus 17. ad 23. est succurrere. His tot & tam egregijs modis doctrina sacra fuit Ecclesiæ Dei instillata, & omnis necessaria cognitio communicata.

At qua cote, quibus stimulis populum Israeliticum ad doctrinam imbibendam & legem observandam exsuscitavit? Efficacibus sanè vel maximè. Nam quando *Magistratus &*

populus

CAP. 5. *populus cum Deo ambularunt , & serio re-*
Lev.26. 3. &c. *ligionis studio invigilarunt , eos cœli & terra benedictionibus coronavit , & effusa replevit bonitate.* Hoc testantur *Davidis , Solomonis,*
2 Reg. 18. 6. 7. *Asa , Jehosophati , Hezekiæ , Josiæ tempora* (ne in singulis percensendis longior sim) *feliciora. Implevit nempe Deus promissa pijs facta Lev. 26.* At contra si quando populus hic
a Lev. 26. 14,&c. Deum fontem vivarum aquarum deseruit, fœdus fregit secum initum , & in tristissima
b Deut. 9.4 Num. 1. 11 Num. 14 22. irruit facinora : *Hos Deus multis* [a] *castigavit virgis , aut gravioribus perdomuit flagellis.* Noluit enim impunitas fore *crebras in eremo* [b]
c Gx.3 2.1. *rebelliones , cultum ibi aureo* [c] *vitulo , & postea*
d Jud. 21 1 & 13. *Baali* [d] *& Asterothis exhibitum ; conjugia & fœdera* [e] *cum Cananitis , impietatem* [f] *Benja-*
e Psa. 106. 35. *mitarum , & filiorum* [g] *Eli* ἀκολάστων *intem-*
f Jud. 20 13 *perantium , & cultum Jehovæ contemptui ex-*
g 1 Sam. 2. 12. *ponentium ,* & reliquas hujus populi impietates. Sed per [h] *Ammonitas, Moabitas , Ca-*
h *Vt in Historia Iudicum patet et* Ps. 83. & Ps. 105. 41. *naneos , Amelekitas , Philistæos , & Gentes reliquas* ad quorum mores & ritus deflexerant , graviter attrivit ; *& non nisi peccatorum sensu dejectos erexit , & , excitatis Judi-*
Jud. 2. 16, &c. *cibus , servitutis onus ab eorum excussit cervicibus. Nec postea tulit Deus populum suum*
Deut. 31. 17. *Deos alienos cum Jehova colentem , aut preces eorum* αὐθάδως *arrogantius regem ad Gentium*
1 Sam. 8. *exemplum postulantes , aut Saulem in expedi-*
2 Sam. 11. 4. & 15. *tione contra Amelekitas rebellem , aut Davi-*
1 Sam. 15. 23. *dem (virum Deo alias dilectum) adulterio & homicidio pollutum , aut Solomonem ad cul-*
1 Reg. 11. 6. *tum extra eum ab alienigenis uxoribus abreptum,*

CAP. 5.

tum, aut Ieroboamum successoribus suis et 10. Tribubus ad Idololatriam faces praeferentem, aut reliquos tum Iudae, tum Israelis reges Deum ad iram provocantes, sed poenas justissimas in hos omnes intulit, easque moderabatur pro summa sua in poenitentes misericordia, & in impoenitentes justitia. *Tandem autem decem tribus in captivitatem tradidit Assyriis perdomandas; & Iudam tandem, cum populo huic adhaerente, quoniam fratrum suorum exemplo non saperent, Babyloniis transmisit servituros.* Sic *minae illae Lev. 26. delinquentibus & obduratis intentatae non inter*ciderunt.

1 Reg. 12. 28. & 13. 33. Dan. 9. 6. Ezek. 7. 2 Reg. 17. 6. 2 Reg. 25. 11. Eze. 23. 11. & 28. 2 Chr. 36. 12. & 17.

At quid tandem? cum tam multa & gravia, in actionibus hujus populi extiterint flagitia, nullane irruperunt animorum dissidia, opinionum conflictus acerbiores, & schismata inquietiora? nullaene de jure factorum aut rectâ legis expositione lites? nullaene controversiae de Deo, de praedestinatione Israelitarum, de reprobatione Edomitarum, de electione duarum Tribuum, de rejectione magna ex parte 10. Tribuum: de Ecclesiae visibilitate, pompa externa, potestate, & de caeteris religionis capitibus supra memoratis? Nullane fuit profunda & accurata ventilatio abstrusarum quaestionum, nulla veritatis absconditae, & à vulgari populi captu remotae indagatio? *cum Tribus Levitica abunde foetificaret, cum tot florerent domus & collegia* prophetarum, *tot insignes antesignani collegiis praeessent multis prophetarum stipati filiis; cum tempore Davi-*

dis

CAP. 5. *dis & Solomonis unà cum republ. sacerdotalis*
1 Chr. 27. *& Leviticus ordo ad summum dignitatis apicem*
& 28. *aspiraret*, paucissima tamen exorta sunt sedi-
2 Ch. 1. 11. tionum flabella, sectæ & schismata paucissi-
1 Chr. 23. ma. Aut siqua enata sunt, ea in ipso ovo at-
& 24. trita evanuerunt, nec verbosis digladiationi-
bus aut curiosis & prolixis disputationibus
Num. 12. Ecclesiam turbarunt. *Mota quidem est de Æthiopissa Mosis uxore controversia: at hanc citò Deus ipse composuit & diremit: testatúsque est Mosen non esse prophetam ordinarium, nec usitato more, sed familiariùs ore ad os divina effata audire, & fidelem esse in domo Dei*: Nihil igitur esse, quod ejus autoritati quisquam reclamet, aut eum propter Æthi-
Num. 16. opissam criminaretur. Suborta est & alia controversia, eáque gravior, & majori motu agitata. Heic schismaticus fuit *Koreh Levita*, qui sibi ascivit *Dathanem & Abiramum nobiles Rubenitas; & cum iis principes congregationis 250. viros multi nominis & existimationis. Hic Mosem & Aaronem & eorum filios in crimen vocavit, quod sibi munus sacerdotale vindicarent, sese præ reliquis efferrent, clamavítque totam Levitarum Tribum, filios eorum universos sacros esse, Deóque dicatos: proinde superiora officia Mosen & Aaronem nullo jure sibi arrogare*, & ad inferiora munia cæteros injustè deputare & destinare. Quæcunque præterea objicit Koreh aperta sunt convitia. Moses verò Deum
Num. 11. 7 hujus litis facit arbitrum. Is verò liquidò
Nu. 16. 28. demonstrat. 1. *Mosen missum divinitùs, ad omnia*

nia, quæ fecit peragenda; nec quicquam de suo cerebro addidisse. 2. *Levitis à Deo sua esse assignata ministeria; nec fas esse, ut sacerdotium arrogarent.* 3. *Per virgam Aharonis, emittentem flores & amygdala Deum elegisse Aharonem, & disciplinæ & administrationis Leviticæ à Mose constituto esse autorem.* Hoc verò ut manifestiùs constaret: en, *humus os suum aperuit, & Koram cœtúmque impium cum omni supellectili absorpsit. Deinde plaga immissa Deus* 1700. *Israelitas in Mosen & Aharonem obmurmurantes, ac si populum Dei interemissent, sustulit. Postea suborta est suspicio heterodoxias, quando Rubenitæ & Gaditæ juxta Iordanem altare posuissent.* At inter æquos rerum æstimatores justa excusatio facilè locum habuit; omnísque animorum motus statim refrixit & sublatus est. Deinde *prophetæ Baalis* 450. *Iezebelis Capellani, contra Eliam Dei prophetam surrexerunt.* At cum Elias Israelitas arguisset, *quod inter duas opiniones claudicarent; statim vidit eos omnes pudore suffusos obmutescere.* Et cum non verborum flumine, sed rebus ipsis *idololatrarum amentiam confutasset*; nemo quenquam è turba scelesta subduxit; sed *populus omnes illos Baalis sacerdotes ore gladij devorandos, videns sciénsque tradidit. Postea etiam prophetæ Achabi* 400. fratres germani prophetarum Iezebeliticorum, *Michaiam prophetam Iehovæ veridicum, sed regi suo exosum oppugnarunt,* & pessimis tractarunt modis. At tandem rerum eventus & Achabi in eo prælio interitus huic controversiæ statim finem imposuit.

Nu.18.23
Num.17.8.
Nu.16.31.
Nu.16.49.
Ios.22.10. & 21.
1 Reg.18.26
1 Reg.19.20 21.
1 Reg 22.

Tem-

CAP. 5. Tempore verò captivitatis pseudo-prophetæ erant complures, *inter quos memorantur Passur & Hanania. Hi Ieremiæ captivitatem annorum 70. à Iehova denuntianti restiterunt, clamarúntque capitale esse scelus contra civitatem sanctam prophetare.* Satis his erat ingeminare, * *Templum Domini, Templum Domini.* Potuit autem reverâ, & voluit Deus Templi & urbis suæ causam agere, & contra omnes hostes defendere. At hi pseudoprophetæ videntes scientésque oculos occluserant & mentes obfirmarant, & obliti erant canonis illius cœlestis & nunquam fallentis, quam Jeremias à Deo citat. *Si, inquit Deus, auscultantes revertatur quisque à via sua mala; pœnitebit me mali, quod ego contra civitatem istam peccatricem cogitavi. Nisi autem auscultaveritis mihi & prophetis meis, & in lege mea ambuletis; similis erit Domus hæc Shiluntti, &c.* Postea autem Passuris & populi captivitas, & Passuris & Hananiæ mors tempore prædicto subsecuta indicarunt; quis malesani cordis sui somnia, quis verba Jehovæ annuntiavit.

Ier.20.1. & 23.21.& 26.8.& 28.1.

* *ut illi.* Ier.7 8.

Ier.26.3.

Quid igitur (inquiet quispiam) agebant sacerdotes, Levitæ, prophetæ Dei per tot urbes & scholas dispersi? quonam eorum studia & lucubrationes, & in lege meditationes tendebant? O nos miseros! qui cum dies & ætatem studiosorum nostrorum & prophetarum litibus & jurgiis insumptos comperimus; nihil fere videmus aliud, quod tota collegiorum & eruditorum agat cohors. Agite, le-

gem

gem inſpiciamus, & quid doceat illa ſacræ doctrinæ ſynopſis, advertamus. 1. Docent ſacræ ſcripturæ Deum mundum creaſſe, homini lapſo redemptorem miſſurum, cujus perſona & vita & quæcunque in eo tum erant conſideranda pluribus typis adumbrantur; docent conditionem feliciſſimam manere omnes Deo ducenti morigeros; docéntque vultum ejus iratum contra omnes in illum rebelles efferveſcere. Hos, & qui his ſubordinantur, articulos oportuit ſacerdotes & prophetas ſedulò inculcare, & populum univerſum iis fide & aſſenſu firmo credere. Nec levis ſanè labor Eccleſiaſticis incubuit Doctoribus in populi memoria refricanda, ut recordarentur, quàm triſtem exitum ſuperioribus ſeculis ſortitus ſit legis neglectus, & fœderis divini rejectio, quàm grata Deo fuit præceptorum ſacrorum obſervatio, & quantis bonis cumulata, &c. Secundò docent ſacræ ſcripturæ oportere omnes ad unum, revelatam Dei voluntatem (ſecretis omnibus Deo relictis) auſcultare, & quæ præcipiuntur ſeriò agere. Quippe hoc etiam fœdus inter Deum & populum ſuum poſtulabat. Hinc multoties ingeminatur Iſraelem, *hunc legem accepiſſe* לעשות, *ut eam facerent*. Et Deus populum ſæpe criminatur, *quod eam* לא שמרו *non cuſtodierunt*. Legantur Deut. cap. 4. verſ. 5. & c. 5. & c. 6. & c. 8. 1. & 11. 32. & 15. 5. & 19. 9. & 26. 16. & 27. 9. & ult. & cap. 28. & c. 29 9. & c. 30. 16. Quoties in his

locis,

Cap. 5. locis, ne leviter & negligentiùs attenderemus, Deus disertiùs; *Cavete, inquit, & attendite, ut faciatis.* Tenorem scripturarum reliquarum constantissimum in hunc sensum lectori relinquo trutinandum. Hæc verò est provincia sacerdotum laboriosissima & nunquam non tempestiva, in quâ eos strenuè & acerrimè par fuit desudare. Atque hinc est, quod David sæpissimè Deum obtestatur, *ut*
Psal. 119. *eum verbum suum, statuta, præcepta, legem, testimonia doceret*: hoc est, ut in eorum praxi illi adesset, & ad rectè agendum dirigeret: *unde doctoribus suis evaderet sapientior, quia mandata Dei erat observaturus*; & tandem hic moriturus orat, *ut Deus Solomoni ani-*
1 Ch. 29 19 *mum integrum ad testimonia, præcepta & sta-*
2 Reg. 2. 3. *tuta ejus servanda & facienda daret*; & Solomoni præcipit, ut *observaret observationem Iehovæ, ambulando in viis ejus, servando statuta, præcepta, judicia, testimonia ejus, sicut in*
Deut. 4 6. *lege Mosis scriptum est.* Atque hinc *observatio & praxis legis dicitur populi Israelitici sapientia & prudentia.* Docet autem tertiò sacrosanctus codex oportere vigiles & Episcopos supra populum constitutos, Reges scil. & ordinem Sacerdotalem cum omni subordinata cohorte totúmque etiam populum in Deo adorando, in celebratione divini nominis, & ejus laudibus decantandis multum temporis indies collocare. Idquè præcipuè, cum suis Deus felicitatem, qualem Davidis & Solomonis tempore, gratiosissimè indulgeat

Cap. 3.

geat. Hæc officia & his ſimilia (nolo enim omnia coacervare) perpetuò ſacra indigitat pagina, & commemorat. In quibus meditandis, exponendis, urgendis, dum ſacerdotes & Levitæ operam poſuerunt, nihil omnino temporis illis obtortis & ſtomachoſis ſupererat diſputationibus & controverſiis quæ curioſè & vehementiſſimè hoc ævo noſtro agitantur.

Cap.

Cap. VI.

Argumentum.

Cum Deus, finitis 70. annis captivitatis Babylonicæ, populum suum favore & benignitate Cyri regis Persarum exaltatum in Iudæam reduxisset; hi sub reliquis Regibus Persicis variam experti sunt conditionem, & tandem operâ virorum quorundam illustrium & ministerio prophetarum sanctorum Templum & urbem & cultum Dei instaurabant. At post aliquot annos, cum administratio reipub. elanguisset & sacerdotes rerum sacrarum curæ minùs erant intenti, nec sedulò evigilassent; enatæ sunt Sadducæorum, Pharisæorum & aliorum sectariorum pestes. Hosce Christus tandem adveniens voluit sanare: Sed hi Christo noluerunt attendere; et peccatis cæteris illud addiderunt, quod Dominum vitæ, neglectâ salute per ipsum oblatâ, occiderunt. Propter quas omnes deviationes, et mentium in erroribus et peccatis obfirmationem et cæcitatem, primò sub Alexandri successoribus, deinde sub ducibus suis mutua discordia incensis, & tandem sub Romanorum præfectis Dominij avidissimis, miserè vexati indoluerunt: Christus verò, tandem urbis, Templi, & populi hujus tristissimam denuntiavit desolationem.

Per-

CAP. 6.

PErgamus jam ad tempora captivitatem Babylonicam subsequentia. Heic Cyrus, quem *Deus populi sui pastorem* nuncupat, *oves reliquias populi sancti in caulam propriam in Judæam & Urbem Hierosolymam facit reduces.* Deus verò hos numero 42360, *auro, argento, pecudibus, rebus pretiosis ditatos, & è gravissimis calamitatibus caput exerentes, divino favore dignatur, & amantissimè solatur. Nam duos unctos viros & spiritu sancto motos, excitavit, Zorobabelem scil. filium Salathielis ex posteris Davidis, virum pietatis & reipub. studiosissimum, ad politiæ administrationem; ut & fundamenta Templi reædificandi jaceret, & opus illud divinum ad finem perduceret: tum etiam Jehosuam summum sacerdotem vocavit, ejus vestes sordidas amovit, mundam ejus capiti cidarim & corpori vestimenta imposuit, increpavit autem Satanam, ne à dextra huic adstaret adversarius; in ejúsque locum collocavit Angelum Jehovæ.* Ut autem felicissima hæc initia optatiores haberent progressus, *Daniel, Haggai, & Zacharias prophetæ præfectum illum populi & summum sacerdotem cum populo universo ad opus sibi commissum sedulò peragendum exsuscitabant. Qui docebant, Deum jam servis suis pacem daturum, & Templum ab ijs erigendum ampliore multò, quàm prius illud Solomonicum, gloria illustraturum, Messiam suo tempore venturum, peccata morte sua aboliturum, sacrificijs omnibus finem impositurum.* Quæ omnia

Es 44. 28.
Es. 45. 13.
Esr. 2. 64.
Ezr. 2. 1.
Zach 4. 9.
Zach 3. 1.
Dan 9. 25.
Hag. 1.
Zac. 4. 9.
Zach. 1. 16, 17
Zach. 8. 4.
Hag 2. 9.
Dan. 2 94.

CAP. 6. ut et alia à Christo tandem præstanda, varijs typis & propheticis adumbrationibus (ne Judæis post silentium prophetarum, deesset cui fides illorum inniteretur) describuntur. *Reduces his stimulis incitati, ad Templi structuram sese accinxerunt, cultum Dei instaurabant, ejus laudes solenni more cantabant, sacrificia complura offerebant.* Inter quæ, ut sciremus, quanta fide Dei promissis de 12. Tribuum reditu crederent, quanto amore *Israelem devoratum ab Assyrijs, fractum ossa à Nabuchadnezare amplecterentur; Hircos 12. pro 12. Tribubus cadebant. Siquidem edocti sunt hi reduces Deum rursus corroboraturum domum Judæ, & domum Josephi servaturum; & tranquillè eos collocaturum, quia eorum misertus est: futura igitur eorum erat conditio ac si eos non abjecisset.* Hoc consonat Jeremiæ, à quo ubi Babylonis excidium prædicitur, additur. *Tempore illo venient filij Israelis, ipsi cum filijs Judæ, &c. Deus verò ut ad reditum omnes invitaret 12. Tribus, indidit menti Cyri & Darij & Artashastæ tunc orbis Dominorum, ut reditum toti populo Dei indulgerent. Ita ut liceret Israelitis per Assyrios antè in urbes Medorum, Halam, Haboram & reliquas juxta flumen Gozan avectis, cæterísque universis in tota Cyri ditione, in patriam & ad populum suum sese recipere.* Deinde quo majori cum honore è captivitate reverterentur, Ezra dictante spiritu sancto, *non modo sacræ historiæ Epitomen in Chronicis post hunc reditum è Babylone* (quod etiam fecit Moses in Pent-

Margin notes: Ezr. 3. 2. & 8. — Ezr. 5. 2. — Jer. 50. 17. — Ezr. 6. 17. — Zac. 10. 6. — Jer 56. — 2 Chr. ul. ult. — Ezr. 1. 3. — Ezr. 7. 13. — 2 Reg. 17. 6. & 18. 11. — 1 Chron.

Cap. 6.

Pentateucho post Ægyptiacam servitutem) *exaravit*; *sed etiam sacras genealogias* 12. *tribuum accuratè delineavit*: ut dissipati Judæi & Israelitæ ansam haberent *sese in Tribus & familias suas inserendi*, & ad corpus populi à Deo dilecti sese aggregandi. Hæ enim Ezræ genealogiæ temporibus post Christum passum non inserviunt: *in quibus non est* διαφορὰ Ἰουδαίου καὶ Ἕλληνος, *discrimen Judæi & Græci, omnes in Christo unum sunt*; *in quibus est Israel Dei etiam inter gentes*, & *non est Judæus*, *qui in propatulo est Judæus*, *sed qui in occulto*, *is Judæus est*. Fuit autem Ezra hic non solùm *Deo gratus*, *ut scriba in lege divina versatissimus*, *sed & Regi Artaxerxi imprimis charus*, *à quo redeundi facultatem cum numeroso fratrum suorum choro*, *& potestatem prospiciendi*, *ut mandata Dei de Templo extruendo*, *cultum ejus renovando*, *legem observando*, *judices qui legem norant constituendo*; *de mulctando*, *incarcerando*, *in exilium mittendo*, *& morti adjudicando quosvis in legem Dei et Regis rebelles*, *impetravit*. *Noluit enim rex hic*, ut disertè loquutus est, *ut Deus regno et regijs liberis irasceretur*. Ut paucis rem absolvam; *omnes Zorobabelis*, *Jehosua*, *Haggai*, *Zachariæ*, *Ezræ*, *Nehemiæ* (*qui etiam anno* 20. *Artashastæ venit Hierosolymam*) *conatus in hunc collimarunt scopum*, *ut populus redux legem Dei audiret*, *sciret*, *& vitam moresque suos ad ejus præscriptum moderaretur*, unde tandem *primores populi & sacerdotum ad fœdus & juramentum & exsecrationem vocant cœtum to-*

Ezr. 10. 11

Rom. 10. 12

Rom. 2. 28

Ezr. 7. 12. & 25.

Ezr. 7. 23.

Neh. 5. 14.

Neh. 10.

CAP. 6. *tum, confirmabántq; religiosissimè sese omnes ambulaturos in lege traditâ per Mosen servum Dei.* Deinde Deus finem propheticis scriptis daturus, postquam animos populi sui ad sedulam attentionem præparasset, *Recordamini, inquit, legis Mosis servi mei, cui præcepi in Horebo statuta et jura ad totum Israelem perferenda: Ecce ego vobis missurus sum Eliam prophetam, antequam veniat Dies Iehovæ maximus et reverendus. Ut convertat cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres ipsorum: ne veniam et percutiam terram anathemate.* Ita ut in hoc temporis intervallo perfecta illa Mosis lex, cui nihil addendum, nihil detrahendum, sit religiosè observanda. *Tandem verò venit ille Elias promissus, nempe Iohannes Baptista spiritu Eliæ; ostenditque se esse præcursorem Domini nostri in* prophetia Malachiæ designatum. *Suo autem tempore venit Iesus Christus in carne nostra, qui anno ætatis trigesimo baptizatus, Evangelium promulgavit, Apostolos misit, multa operatus est miracula, errores doctorum Iudaicorum convellit, futura multa prædixit, dedit suis potestatem eundi, prædicandi, baptizandi omnes gentes, omnia à veteribus prophetis et à Iohanne Baptista prædicta implevit; opera omnia Mediatoris (ne singulis ennumerandis multus sim) fecit; mortuus est, resurrexit, ascendit.*

Mal. 4. 4. 5, 6. Mat. 11.14. luc. 1. 17. Mat. 17.13. Luc. 3. 21. & 23. Luc. 9. 15. & 18. Mat. 10. 1, &c. Joh. 8. 31. Mat. 24. Apoc. 4. &c. Mat. 28. 19. Joh. 10. 41. 1 Tim. 2. 5. Heb. 9. 15.

Videmus quibus beneficijs Deus populum suum his temporibus sibi devinxit, quantâ curâ & providentiâ in sacris rebus, in sanâ doctrinâ, in vero cultu & fide formandos docendósque suscepit.

susceptit. *At in multos his temporibus Legi divina immorigeros efferbuit ira illa et indignatio Iehova Ier. 24. qua eos exposuit commotioni in malum in omnibus terra regnis, opprobrio et parabola, dicterio et maledictioni in omnibus locis, in quos ipse illos depulit; Deus scil. in eos famem, gladium pestem immisit; donec consumpti essent è terra, quam ipsis et majoribus eorum dederat.* Ita ut *multi eorum, instar crinium combustorum, alij instar crinium gladio percussorum, reliqua verò tertia pars eorum instar crinium in ventos dispersorum, interierint. Pauci admodum tanquam crines ejus colligati à Deo asservabantur.* Ex quorum numero etiam nonnulli erant excipiendi, meritis nimirum pœnis adjudicati. Qui verò redierunt, & Templum civitatémque ædificarunt, multis præpediti remoris, plurimis pressi gravaminibus ingemuerunt. *Nam hostes eorum Rehum et Shimshai, et postea Sanballat et Tobia structuram à Cyro mandatam clandestinis consilijs et apertis machinamentis pro virili ita retardabant: Ut muri Hierosolymitani et ædificia non nisi post vigesimum annum Artashasta, curâ et operâ Nehemiæ fuerint penitùs instaurata. Interea verò plures angustiæ et calamitates gravissimæ populum hunc in his et reliquis Persarū Regū temporibus obtriverunt. Quantâ verò sævitiâ et lanienâ, quàm funesto calamitatum Oceano Alexandri Magni successores, et postea Romani duces et præfecti hos lacerarunt*, nemini arbitror ignotum. Hunc in modum & misericordiam & justitiam suam Deus exercuit manifestissimam.

Ezek. 14. 21.
Exek. 5.
Ezr. 4. 9.
Neh. 2. 10.
Neh. 3.
Neh. 5. 14.
Dan. 9. 25.
Esth. 7. 4.
Zar. 1. 19.
1 Mar 1. 10 & 23. & 57
Ioseph. Antiq. 20. 9.

CAP. 6. *Ut boni quique purgarentur, dealbarentur,*
Dan. 12. 10 *& in vaſa pretioſa & Deo dilecta conflarentur: & ut reliquos* κακοὺς κακῶς *malos malè perderet.*

At quid tandem? Hæccine doctrina Moſis & prophetarum omnium, & deinde Chriſti & Apoſtolorum, beneficia illa grandia, & afflictiones illæ horridiſſimæ, Judæos à captivitate Babylonica ſolutâ ad Chriſti mortem, in religione intemeratâ & legis obſervatione incorruptâ retinuerunt? nequaquam ſane. Jam enim ſurgunt ſchiſmata & ſectæ non paucæ.
Neh. 13. 28 *Unus enim è poſteris Ioiadæ Archiereos Sancti, ejectus è ſacerdotio à Nehemia, factus*
Ioſeph. Antiq. l. 11. *eſt gener Sanballati Iudæorum hoſtis; Hic verò in Templo montis Geraſin ad hujus ſchiſmatis confirmationem ſtructo, religionem & novos ritus cudit et exercuit.*
Ibid. *Hunc apoſtatam vocat Ioſephus Manaſſem.* Tempore autem ſubſequenti ſub Macedonibus, *ſiquis Hieroſolymis illiciti cibi aut violati ſabbati aut ejuſmodi criminis reus peragebatur, ad Sicemitas & Templum in Monte Geraſin confugiebat.*
Ant. 11. 7. Sic Joſephus. Poſtea verò *Onias, cum Iudæa*
Ioſep. Bell. Iud. 7. 30. *bello per Regem Antiochum erat vexata, in Ægyptum fugit; ibiq; Templum permiſſu & ope Ptolemæi ſtruxit, ſtuduitq; populum Iudaicum à Templo Hieroſolymitano ad ſe traducere. Ut autem fucum faceret huic inſaniæ, contendit vaticinium quoddam de Templo hoc in Ægypto collocando antiquitus fuiſſe proditum; cui etiam* (ut dixit) *Eſaias* (quod tamen nuſquam apparet) *fidem faceret. Tandem enata*

ſunt

Cap. 6.

sunt nobiliora seu conspectiora schismata Pharisæorum & Sadducæorum; quibus accesserunt obscuriora & inferiora alia complura: nam ubi à recto tramite discessum est, necesse est, ut multa pateant devia. Sed jam rivulis relictis sectarum minùs conspicuarum, vastiores alveos tentemus. Sadducæorum dogmata, contra quæ militarunt Pharisæi erant hæc; *Nullâ pœnâ improbos torquendos, nullo præmio bonos coronandos in vita futura; animas hominum esse mortales; omnes omnino traditiones esse reijciendas, & solum* τὰ νόμιμα γεγραμμένα *Statuta, à Mose et Prophetis conscripta esse retinenda; nec Spiritum esse nec Angelum; omnia * esse in nostra potestate, ut tam felicitatis nobis ipsi essemus autores, quam infortunij, si deteriora sequeremur consilia. Dogmata verò Pharisæorum, quæ Sadducæi impugnabant, hæc memorantur: Legem Mosaicam ad literam esse interpretandam; traditiones omnes majorum (quarum nonnullæ Dei mandata faciebant irrita) esse observandas; operibus charitatis sabbatum violari; animas * bonorum separatas à corpore in aliud corpus migrare; cibum non sumendum, nisi* πυγμῇ *laverint; cibum cum Judæis, quos ipsi esse peccatores superciliosiùs censebant, non sumendum; omnia * fato regi, nec tamen humanæ mentis assensum negandum esse; scripturas juxta Pharisæorum canonas & interpretamenta esse intelligendas; juramentum per Templum aut altare nullius esse ponderis, at per aurum Templi aut oblationem altaris esse maximi.* Mores verò eorum sequebantur

Ioseph. Antiq. 13 & 18.

Ioseph. Bell. Iud. 2. Antiq. 18. 2.

Act. 23. 8.

* Ioseph. Antiq. 13.

Mat. 5.

Mat. 15. 2.
Mat. 12. 2. & 10.

* Ioseph. Bell. 2.

Mar. 7. 3.
Mat. 9. 11.

* Iosep. Bel. Iud. 2.

Mat. 23. 7.

Mat. 23. 16

doctrinæ temperamentum, meritóque sunt taxandi: *Nempe mare terrámque circuibant,*
Mat.23.15 *ut proselytum facerent, factúmq; reddiderunt*
Luc 11.46 *duplo magis filium Gehennæ* (ut fere sunt sectatores suis signiferis multò nequiores) *quàm seipsos; onera gravia difficiliáque portatu aliorum imponebant humeris, quæ ipsi digito suo noluerunt attingere; titulis Patris,* καθηγητοῦ,
Mat.23. *Doctoris, Rabbi, indigitari, &* δημαγωγοὺς *populi Ductores esse, primos accubitus in cœnis, & consessus in conventibus tenere affectabant, ut omnia ad suum ipsorum nutum administrarent.* Hæc autem ut consequerentur *in speciem longis utebantur precibus, sæpe jejunabant* σκυθρωπάζοντες *vultu tristi; phylacteria dilatabant, fimbrias palliorũ producebant, decimas rerum etiam minutissimarum pendebant; lotionibus crebris utebantur; sepulcra prophetarum & monumenta justorum ornabant: reverà tamen maxima legis, judicium & misericordiam negligebant, regnum cœlorũ aliis præcluserunt, nec ipsi intrabant, nec alios introituros permiserunt ingredi; Jesum Christum in patris nomine venientem rejecerunt, prophetas Dei, sapientes, scribas veros à Christo missos, ad filios Hierosolymorum congregandos, persequebantur, flagellabant, trucidabant. Quare Christus, cum sæpius, væ, væ, contra illos ingeminasset, multásq; eorum in cordium malignitate permanentium miserias recensuisset, tandem vaticinatur domum eorum vastandam, Templum dissolvendum & lapidem super lapidem, qui non diruatur, neutiquam relictum iri.*
Hos 4 9. Scilicet quia *sacerdotes Israelis, legem Dei sui obliti*

obliti sunt, & scientiam ejus spreverunt; Deus filios sacerdotum sprevit & abjecit, ne sacerdotio fungerentur: & fecit ut populo, ita sacerdoti, animadvertendo in omnes vias illorum. Cum verò totius hujusce Gentis Judaicæ idem esset peccatum, idem etiam illos mansit supplicium. *In Pharisæorum & Sadducæorum erroribus spreto Evangelio, hi sese obfirmabant; Quare Deus eos mentis illorum cæcitati reliquit, quam postea calamitates innumeræ, inauditæ, ineffabiles sequuta sunt.*

Secta Judæorum plurima mala invexerunt. Ioseph. Antiq. 18. 1.

Cap.



CAP. VII.

Argumentum.

Post Christi ascensionem Evangelistæ & Apostoli verbo & scriptis doctrinam sacram & religionis summam omnibus numeris perfectam promulgarunt : & nihil sæpius aut pluribus inculcarunt, quàm pacis studium. Quam doctrinam etsi eorum successores propagare contenderunt, nihilominus Iudæi in eadem cæcitate & induratione mentis perstiterunt, ita ut in Ecclesia Christiana sensim perniciosæ eruperint hæreses. Deus igitur nationem Iudaicam prius dilectam abjecit, Templum & urbem eorum diruit, multos gladio percussit, reliquos dispersit. Et Ecclesiæ suæ deviationes barbaris nationibus immissis & aliis pœnis flagellavit. Tandem verò in orientali orbis parte surgunt Turcæ ferro & insanis opinionibus omnia miscentes : & deinde & Episcopi Romani à malo in pejus progressi solem scriptur-

turarum pravis glossis obscurarunt à religionis puritate deflexerunt, & non necessariis quæstionibus Ecclesiam gravarunt. Licèt autem Deus complures viros doctos excitarit, veritatis assertores: in sua tamen mentis obfirmatione potestas Turcica & Papistica perstitit, piis admonitionibus & saniori consilio eorum, qui Linguarum, Antiquitatis & veræ Religionis studium redintegrarunt, neutiquam auscultavit. Quis igitur hujus pertinaciæ futurus sit finis novit Deus. At reformata Ecclesia Romanum jugum excusserunt, & jam lucem veritatis propagant, fraternæ charitati student; & doctores ejus non nisi coacti ad controversiarum rixas sese accingunt: sperántq; Deum qui eos è pluribus litium flammis subduxit, moderatiora plura ingenia excitaturum, quæ futura sunt promptissima ad controversias minùs necessarias prorsus tollendas, & ad pacem à Christo orbi legatam animitus amplexandam.

Post

CAP. 7. POst Christi ascensionem *Apostoli exspectantes missionem Spiritus sancti à Christo promissam, Hierosolymis manserunt;* *quo accepto, Die Pentecostes, non Apostoli solùm sed & viri religiosi, Iudæi & proselyti ex omni natione sub cælo ad* Evangelii promulgationem ad ultimos terrarum fines præparantur hac Spiritus sancti ope, & instruuntur, & ad hoc opus à Christo demandatum sese diligentissimè accinxerunt, & non verbo solùm, sed & sacris scriptis ad fidem Christianã & morum sanctitatem vocant. Inter quos

Luc. 3. *Sanctus Lucas Evangelista ab Adamo per Abrahamum & Davidem cæterósque sacram Genealogiam ad Mariam virginem sanctam & Iesum filium ejus* θεάνθρωπον *Deum hominémque in una Persona, deduxit: Et S. Matthæus etiam, ut pateat quomodo Iesus sit de jure*

Mat. 1. *rex Iudæorum, lineam Regiam à Davide per reges Iudæa & eorum posteros ad Iosephum,*

Gen 5. & 10. *Mariam, Iesum est prosequutus.* Quâ methodo *cum politia & religionis reformatio post*

1 Chron. *exitum ab Ægypto & Babylone* erat Dei

Mar. 1. jussu suscipienda, usi sunt (ut supra dixi) *Mo-*

Luc. 1. *ses & Ezra.* Deinde in ipso vestibulo E-

Mal 4 5. vangelii *historia Iohannis Baptistæ occurrit: de quo ultima veteris instrumenti verba meminerunt.* Sic ab eo novum Testamentum initium sumit in quo desiit vetus. Evangelistæ autem omnia, quæ fecit & docuit Christus, sum-

Ioh. 20. 30. matim descripserunt. *Nec enim voluit Spiri-*

Ioh. ult. 25. *tus Sanctus omnia* καθ' ἓν *sigillatim literis mandare,* sed præcipua rerum capita, & ad fidem

&

& institutionem nostram in pietate apprimè necessaria. Deinde *D. Lucas acta & conciones Apostolorum, & Primitivæ Ecclesiæ historiam studiosè & paucis compingit.* Quod verò *Paulus, Petrus, Iacobus & cæteri Apostoli & Sancti alij* suo non deerant officio, sed sacra Evangelii documenta per varias Gentes & populos disseminabant *tum ex historiis Ecclesiasticis, tum ex sacra scriptura* liquidò potest constare. Ex sacra vero scriptura manifestum est, tum omnes typos Messiam mundi redemptorem præfigurantes, omnes prophetias res à Christo gerendas vaticinantes, exactissimè adimpleri; tum etiam doctrinam generalem, & particularem, quatenus necesse erat, de fide & moribus, nulli non Genti & populo jam communicandam, esse depromptam. Quod verò fidei doctrinam spectat; *ejus summam viri Apostolici in Symbolum fidei optimo consilio & fide congessere.* In quo doctrina de creatione, de Iesu Christo mediatore Satanam devincente, nobísque victoriam comparante; de Spiritu sancto ad nos docendos & regendos misso paucis verbis exprimitur. Quæ verò credenda sunt de Ecclesia Catholica, seu jam per omnes nationes prolatandâ; de communione sanctorum in fide & bonis moribus cum Deo ambulantium; de peccatorum remissione nobis per Christum & ejus sacrificii meritum concessâ; de resurrectione omnium omnino hominum ad judicium, & de vita æterna in Christi peculium collatâ, succinctè, breviter, & dilucidè heic continentur. Ex hoc vero Symbolo liquet, unam eandémque fidei do-

CAP. 7. doctrinam olim patribus ante Christum, nobísque in his ultimis mundi diebus esse communem. Illi enim mundi creationem, redemptionem per semen mulieris, Abrahami, Davidis, Judæ, caput serpentis conterens, & ejus opera dissolvens, nobísque salutem donans, illi Spiritum sanctum in Noa & prophetis & Sanctis omnibus loquutum & operantem crediderunt; Illi doctrinæ de Ecclesia Catholica, hoc est, de omnibus Gentibus in Abrahami semine benedicendis; de communione Sanctorum, mutuo amore in uno corpore conspirantium; de peccatorum remissione per Messiam; & de resurrectione mortuorum; & de vita piorum in Dei conspectu æterna, & omnigena beatitudine repletissima, assenserunt. Hoc tantum discriminis inter nostram & illorum fidem exstitit. Illi nimirum *in Christum venturum* crediderunt: opus igitur erat, *ut multis typis, sacrificiis & umbris* edocerentur: nec enim facile & sine longa & repetita demonstratione & expressione res futuræ percipiuntur. At nos *in Christum, qui jam venit,* omnia de se præfigurata præstitit, & umbris omnibus finem dedit, credimus. Hæc autem omnia *ex historia Evangelica et ex sacris et clarissimis reliquis Novi Testamenti libris* cum veteris Testamenti doctrinâ collatis ita ediscimus: ut nobis *pauca et facilia sufficiant sacramenta et ritus. Visum enim est Spiritui sancto (cujus præscriptum observarunt Apostoli Act. 15. 28.) nullum onus difficile et grave omni populo per mundum disperso*, & jam ad

ad fidem ex multiplicibus errorum deviis CAP. 7.
convocando imponere. Cujus infirmitati consuluit Christus, qui in Enchiridio novi Testamenti, non in multis & grandioribus voluminibus, ne Gentes mole & prolixitate territæ resilirent & attonitæ stuperent, totum ejus consilium & voluntatem complexus est.

Cum autem Apostoli totum illud Dei consilium, ídque forma sanorum verborum suis auditoribus fideliter annuntiare studuerunt, exordium (sic enim jussit expressè Christus) inde faciunt. *Pax sit domui huic.* Et in Epi- Luc.10.5.
stolis ad Ecclesias. * *Gratia, Pax, Veritas & Charitas multiplicetur.* Præierant etiam iis *1 Cor.1.3 Eph.1.2. Phil.1.2.
Angeli * *Gloria Deo in excelsis, in terris Pax,* Col.1.2.
& in homines benevolentia. Nec quicquam fe- 1 Tim.1.2.
re sæpius inculcat Deus Pacis, quam pacis 2 Ioh.3.
studium. * *Pacem, inquit, sectamini. Habete* *Luc.2.14
pacem alij cum alijs. Pacem, si fieri potest, & *Rom.15.33.
quantum in vobis est, cum omnibus habete. Am- 1 Cor. 14.
bulate non in contentione & livore. Huc ten- 33.
dunt illa. *Ioh.* 13.34. *&* 15.12. *Rom.* 15. Heb.12.14.
5.6. 2 *Cor.* 13.11. *Heb.* 10.24, *&c.* *Quoties* Rom.12.18
verò præcipit Scriptura proximi amorem, & mu- Rom.15.2.
tuam charitatem? quoties sinceram & non si- Rom.12.4.
mulatam nobis commendat benevolentiam? quo- 2 Cor.6.6.
ties lenitatem fraternam & viscera miserationum jubet induere; res ipsa manifestior est, quàm ut pluribus sit opus. Hæc satis supérque oportuit pronitatem orbis ad lites & controversias retundere, & contentionum flammas, quasi aquâ injectâ restinguere. Eph.4.15.

Nam

Cap. 7. Nam Dei mandata eâ apud omnes * debent pollere autoritate; & homines Dei artificium & opus, Sanctósque ejus peculium & acquisitionem, tantum nudis ejus præceptis tribuere æquum est, ut statim sine omni reluctatione, aut tergiversatione, immo summa cum alacritate & promptitudine pareant. Non est, ut à Deo rationem mandatorum ejus, aut calcaria argumentorum, quibus ad ejus voluntati obtemperandum incitemur, exspectemus. En tamen Dei bonitatem & felicitatis humanæ studium! qui nos non levibus argumentis & adhortationum aculeis ad obsequium trahit.

* Non minus quam Ionadabi apud posteros suos. Ier. 35.

Ut paucis multa perstringam. Idem, inquit,
Mat. 23. 4. *Deus pater vester est in cœlis. Nos unum cor-*
Eph. 4. 5. *pus sumus, cujus caput est Christus. Nos omnes*
1 Cor 11. *fratres sumus; unum habemus Dominum, unam*
13. *fidem, unum Baptisma. In uno Spiritu nos om-*
Eph. 4. 4. *nes in unum corpus baptizati sumus. Unam spem habemus vocationis nostræ.* Quid plura? *Oportet igitur servare unitatem Spiritus per vinculum pacis, diligere proximum non verbo*
1 Ioh. 3. 18 *& lingua tantùm, sed facto & veritate; de-*
Rom. 15. 2. *bemus inservire aliis alii, invicem charitati*
Gal. 6. 1. *studere & bonis operibus, fratres quosque in-*
1 Cor. 1. 10 *staurare spiritu lenitatis.* Sic enim schismatum & sectarum fibræ omnes abscindentur.

Heic vero Deus mutari nescius, homines, ut olim, tum beneficiis ad obedientiam allicit; tum minis & flagellis ad officium adigit. Ex beneficiis illud imprimis grande & eminentissimum est.
Ioh. 17 3. *Quòd Iesum Christum*
Rom. 10. 10 *filium suum unigenitum miserit, & sacrifici-*
11. 12. *um*

CAP. 7.

um pro peccatis tum Judæorum tum Gentium acceperit. Deinde quod univerſos per fidem hæc donum amplexantes, & pietati & morum ſanctitati ſtudentes, in gratiam recipiat: Quod ut faciant, ipſe rationem per verbum & Spiritum ſuum init; & rationem illis obſervandam, ne errent & perdantur, præſcribit. Nolo heic beneficia divina illa (de quibus in initio dixi) in ultimos hoſce mundi dies reſervata commemorando refricare, aut plura ex prophetis arceſſere. Illis conſimilia, ſi non longè majora, crebrò accumulat novum Teſtamentum: *in quo multoties beatitudines varij generis inculcantur; præmia juſtorum & Prophetarum minima officia præſtantibus promittuntur, requies animarum defeſſis & onere quovis depreſsis proponũtur. Promittit etiã Chriſtus Ecclesiæ mẽbra inſtar grani ſinapios multiplicãda, & contra Eccleſiam portas inferorũ non prævalituras, ſe Petram fore hujus fundamento ſubſtratam, & huic ad mundi conſummationem uſque præſtò affuturum. Dat ſuis poteſtatem calcandi ſerpentes, ſcorpiones, & omnem vim adverſarij; facit ut hi majora, quàm opera illius, ad quæ ſtupebat vulgus, efficiant.* Nam cum ipſe omnibus corporeis mederetur morbis, dat eis (cooperante Spiritu ſuo) facultatem medendi cordis duritiei, infidelitati, & cæteris animorum plagis. Præterea *cuilibet afflictionibus probato, vigilanti, oſtium, cum Chriſtus pulſat, aperienti, ea quæ habet retinenti, fideliter ad mortem perſiſtenti, vincentique, promittit Chriſtus manna cœleſte, fructus ab arbore vitæ carpendos, candidum abſolutionis lapidem, nomen*

Mat 5.2. Mat.10.41 Mat.11 28 Mar.4 31. Mat 16.18 Mat.28.20 Luc.10 19 Ioh.5 20. Apo.2.&3

CAP. 7. *libro vitæ inscriptum, & vitæ coronam immarcescibilem.*
1 Pet. 5. 4 *Cum autem Deus gravissimos motus & calamitates orbi immittat, ejus servis,*
Apoc. 7 3.
Apoc. 7. 15 & 16. *ne lædantur notam imponit. Præterea agnus, qui in medio throni est, eos umbraculo proteget, pascet eos, & vitæ illis dux erit ad vivos aquarum fontes; & omnem ab eorum oculis absterget lacrymam.* Denique illud, in quo uno sunt omnia, pro suis obtinuit Christus, *ut omnes in*
Joh. 17. 21. *Deo & Christo unum sint. Dicit enim ad patrem. Sicut tu Pater in me, & ego in te; ut etiam ipsi in nobis unum sint.* Tandémque vo-
Mat 25. 34 cabit *venite ad me benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis à jacto mundi fundamento paratum est.*
Mat. 3. 10.
Mat. 21. 41 *At contra Deus malos malis multabit: & Christus, qui agnus est, & spiritu columbino, provocatus tamen ad iram,*
Apo. 16. 15 *improbis tanquam fur superveniet, contra im-*
Apoc. 2. 16 *pœnitentes oris gladio est pugnaturus; Iezebe-*
Apoc. 2 20 *liticos falsorum prophetarum patronos, & Ba-*
Apoc. 2. 14 *laamiticos prophetas offendicula ponentes, nisi*
Luc. 19 27 *resipiscant, puniet; inimicos coram facie sua vult trucidari;*
Apoc 6 *Christus, inquam, ita cœtum improbum terrefaciet, ut in speluncis & Petris montium sese abscondant; & dicant montibus & Petris: cadite in nos, occultate nos à conspectu ejus, qui insidet throno; & ab ira agni.*
Mat. 24. 51 *Præterea etiam Christus impiis portionem cum hypocritis dabit, arbores fructum bonum non proferentes in ignem conjiciet, & tandem omni-*
Mat 25 41 *bus in cordis duritie persistentibus; Ite, inquiet, à me maledicti in ignem æternum Diabolo & ejus Angelis paratum.* Sic constat *Deum doctrinam*

ctrinam *fidei & morum perfectam* in novo Testamento, quod jam veteri superaddidit, nobis reliquisse ἀσάλευτον *non concutiendam*, ut ceremonialis legis doctrina. Nec quicquam causæ est, ut fundamentale aliquid addi exspectemus. Ut autem doctrinam hanc serió attenderemus, Deus præmia bonis, malis pœnas pro officio bene vel malè peracto se dispensaturum, & unicuique secundam opera ejus redditurum pollicetur. Heb. 12. 28 Rom. 2.

Cæterum etsi in tempore hoc διορθώσεως *reformationis & restitutionis omnium per Jesum Christum & ejus Apostolos & successores, & viros religiosos Parthos, Medos, Elamitas, &c.* Spiritu sancto inspiratos, Evangelium Christi longè latéque erat disseminatum: tamen in hac tanta luce, & sanæ doctrinæ incremento magna facta est Apostasia Judæorum, qui regnum Messiæ sui terrena majestate conspicuum inhærunt, & *vocationem Gentium, & earum reditum, ut filij prodigi cum patre in gratiam, agrè tulerunt*. Illi vero Judæi suos posteros in easdem erroris foveas ita traxerunt, ut in hunc usque diem in mentis suæ cæcitate perseverent. Quædam etiam & in Gentium Ecclesijs creverunt & suppullularunt sectæ. *Zizania scilicet superseminavit humani generis hostis*. Siquidem quando Samaritani, qui libros Mosis receperant, & propheticos Hierosolymam sacris officijs destinantes contempserant, Christianam doctrinam ab Apostolis nuntiatam summo gaudio acceperant; *Simon Ma-* Act. 2. Luc. 15. 28 Mat. 13. Act. 8.

CAP. 7. *gus* μέγας τις *magnus quidam habitus voluit cum cæteris Samaritanis baptizari; neque heic contentus, pecuniam Apostolis obtulit, dicens; Hanc mihi potestatem date, ut cuicunque manum imposuero, Spiritum sanctum recipiat.* Hic etsi à Petro graviter fuit reprehensus & ad pœnitentiam agendam provocatus, tamen hæresium quarundam autor * paterque perhibetur. *Subortum est etiam schisma et contentio de legis cæremonialis observatione. Nam quidam ad Evangelium prædicandum missi, Antiochenorum animos turbabant, jubentes ut circumciderentur et legem observarent. Verum in Concilio Apostolorum tractatur hæc quæstio, decretûmque est, Iugum hoc cæremoniarum cervici discipulorum non esse imponendum, quod neque patres, neque præsens illa ætas ferre poterat.* Sic lis hæc in ipso ovo opprimitur tollitúrque. Præterea *in Ecclesia Corinthiaca* auditores (nullâ proculdubiò culpâ Apostolorum) animis & affectibus dissenserunt. *Ego, inquit hic, sum Pauli; alter, ego Apollinis; Tertius, ego, Cephæ; quartus, ego Christi;* Processitque hic motus εἰς ζῆλον, καὶ ἔριδα, καὶ διχοστασίαν, in invidiam, contentionem & dissidia. Sed S. Paulus docendo, *sese, Petrum et Apollinem esse tantùm ministros et instrumenta, quorum opera usus sit Deus in plantando et rigando, totum incrementi gloriam Deo adjudicat.* Atque sic omnis animorum exacerbatio resedit, & extincta est. Irrepserunt etiam hæreses aliæ complures in Ecclesias ab Apostolis fundatas. Habuit *Cerinthus quosdam,*

*Euse. Hist.
Acts 15.
1 Cor. 3.

dàm, qui resurrectionem negarunt. Habuit Galatia quosdam ad infirma & egena rudimenta legis relapsos. Habuit Thessalonica, qui diem Christi & reditum ejus in nubibus ad judicium instare dixerunt. Habuit Pergamus Balaamiticos doctores, qui de Idolothytis & fornicatione docebant corruptissimè. Habuit Thyatira pseudoprophetissam spiritu Jezebelitico servorum Dei deceptricem. Habuit Philadelphia, qui Judæos, veros (ut opinor) *Judæos in spiritu, & Christianos sese gloriabantur; cum Synagoga essent Satanæ. Fuerunt Nicolaitæ, quorum doctrinam Deus & Sancti oderunt; D. Petrus ipse à S. Paulo culpatur, quod in quibusdam ille, & ejus exemplo Barnabas, & quidam Judæi, Judaizarent metu circumcisionis.* Utcunque verò non omnes hæ opiniones & errores in hominum animis altissimas radices egerint; quædam tamen ex illis in sectas abierunt, & propugnatores invenerunt satis loquentes. At non prolixo argumentorum conflictu, & verbosis velitationibus & tumultu Ecclesiam infestarunt. Aut siqui obfirmatiùs & pertinaciùs in horum errorum propugnatione contra veritatis lucem perstiterunt; tandem pœnas luerunt gravissimas. Nam non hi solùm, qui Judaizarunt inpœnitentes; sed etiam Pharisæi & Sadducæi, & cæteri Sectarij Judæorum in Hierosolymorum desolatione, & reliqui in Asiæ Ecclesijs has aut similes hæreses sectantes, gladio Romanorum, & postea Mahomedis & Turcarum

Cap. 7.
1 Cor. 15
Gal. 4. 9
2 Thes. 2.
Acts 1. 11.
Apoc. 2. & 3.
Act. 9 6
Apoc. 2. 15.
Gal. 2. 12. 13.

CAP. 7. Turcarum inter horridissimas miseriarum procellas confossi sunt & obtriti. Hactenus insigniores sectas & errores in sacra pagina atro carbone notatos adduximus; at Spiritus sanctus uberiorem multò proventum schismatum temporibus subsequentibus primitivæ Ecclesiæ integritatem, prædixit enasciturum.
2 Pet. 2. *Erunt*, *inquit* S. *Petrus*, *falsi Doctores*, *qui subintroducent hæreses exitiales*, *etiam Dominum*, *qui ipsos mercatus est abnegantes*, *et accersentes sibiipsis celerem perniciem*. *Et D. Paulus*, *Scio*, *inquit*, *lupos graves non par-*
Act. 20. 29. *centes gregi ingressuros esse post meum discessum*, *et ex vobis ipsis esse orituros*, *qui loquantur perversa*; *ut discipulos post se trahant*. Nec erant vaticinia hæc irrita. Prodijt tandem fertilis sectariorum progenies non inficianda
Euseb. Hist. parenti (cui Simon Magus horum signifer & autor, ut quidam affirmant, subservijt) Satanæ. Inter quos eminuerunt Menandriani, Saturniani, Anthropomorphitæ, Samosateniani, Montanistæ, Photiniani, Marcionitæ, Manichæi, Gnostici, &c. Deinde Arriani, Donatistæ & plures alij: qui omnes & *gladio spiritus sancti* à patribus religiosis & eruditis vibrato, & *gladio tum Ethnicorum tum Christianorum in prælijs et* tumultibus Imperatorijs cruentissimo, & in omnes hos (justo Dei judicio) grassante, aut *in barbarorum incursione* violentissima & feritate impetuosissima, pœnas dederunt infandas. Postquam verò *Constantinus et alij quidam Imperatores fidem Christianam amplexi*, sedem Imperij

Con-

Conſtantinopolin tranſtulerant,& Romam Epiſcopo ſuo reliquerant ; *Epiſcopi Romani* ſenſim autoritatis ſuæ criſtas erexerunt, & primatum ordinis primò, deinde juriſdictionis ſtabilire contenderunt : ut tandem Phocæ tempore Apoſtaſiam in Eccleſiam videantur invexiſſe ; quæ temporibus ſubſequentibus, ad ſummam pervenit maturitatem. Nam tum tandem Papæ Romani Dominium in reges terræ (ut prius Imperatores & Cæſares) *gladium temporalem et ſpiritualem, judicium in cathedra infallibile arrogarunt. Deinde laicis ſcripturarum uſum in lingua vernacula interdixerunt ; ſeſe coram imaginibus proſternere, in lingua ignota preces non intellectas fundere, pluris Papæ quam Dei mandata facere, ſuos voluerunt.* His temporibus ſurrexit *Petrus Lombardus magiſter ſententiarum. Hujus vero pulli plane Martij minutijs ſuis & quæſtiunculis curioſioribus* Theologiam veram in ſcholaſticas tricas, & rixas minus neceſſarias comminuebant, & magna ex parte enervabant. Deinde ſurrexerunt *Johannes Scotus & Thomas Aquinas* homines Docti ſed nominis malè ominati : nam poſt novæ Scotiſtarum & Thomiſtarum familiæ & ſectæ (forſan non patrum ſuorum conſilio, at magno certè Eccleſiæ malo) exortæ ſunt : qui ad pugnas paratiſſimi,& in igne contentionum & diſputationum immorientes, lucem ſacrarum ſcripturarum obſcurarunt, & vinum veritatis, quæ Chriſtianæ Eccleſiæ à Deo erat propinata, fecerunt multò, quam par fuit, dilutius.

CAP. 7. lutius. Habeat certè *Theologia scholastica suam quam meretur in Academiis sedem*; utilissimam disquisitionem facit, ubi debitos limites observat & φρονεῖ πρὸς τὸ σωφρονεῖν sapit ad sobrietatem. At in sui temporis Theologastris *Thomas Morus* Eques (licet obtenebratus oculos nebulis Papisticis) *satis vidit* (ut alia eorum crimina, sic) *inutilem tinnitum, & præliandi & disputandi ardorem absurdissimum.* Cum verò tandem Johan. *Reuclini aliorúmque studio & industriâ lingua Hebræa, Argyropyli, Gazæ, Calcondylæ, Lascaris & aliorum virorum eruditissimorum cura, Græca lingua & earum usus viris studiosis innotuissent: & Erasmi aliorúmque vigiliis totius humanioris literaturæ indagatio, orbi in Cimmeriis tenebris jacenti, radios sanæ doctrinæ lucidiores communicasset: Dei gratiâ & providentiâ studium & opera B. Lutheri quosdam errores Pontificios detexit; & eximio principum quorundam satis oculatorum & valde religiosorum favore fecit lucem veritatis clariùs sese exerere; quæ deinde summa Melanchthonis & Calvini aliorúmque doctissimorum cura et conatibus latius sese extendit.* His initiis velut œstro percitus est Papicolarum animus; nihílque intentatum reliquit, sed omnia consiliis, machinis, viribus undique conquisitis miscuit, turbavítque: ut ipsum florem veritatis effringeret, ne in fructum tandem protuberaret. Postea Romanus ardor partes suas defendendi conjunctis operis, *arma*, *bella*, *minas* protrahendo in nos graviter tonat: ut nostris necess-

Rom. 12. 3.

Lib. in Theologastros.

cesse fuerit se ad justam defensionem veritatis accingere, nec non Panstratias, & Pandectas controversiarum emittere. Etenim Reformatæ Ecclesiæ sua sponte & proprio motu ad animarum cum Apostolis piscationem, ad agnos & oves Christi cogendos, & in viridissimis sacræ scripturæ pratis pascendos feruntur: & doctores nostri non nisi importunitate papistarum ad bella * necessariò coacti causam Dei agunt, veritatémque (nimis forsan grandi controversiarum mole) propugnant. Jam verò cum populus omnis, cui gustus aliquis & sensus inest ingenuitatis & libertatis ad aliquid legendum trutinandúmque, non possit non Ecclesiæ Romanæ errores & hæreses ab eruditis satis denudatas liquidò cernere; & Romanenses omnia quæ dici possunt, dixerint; & aut eandem recoquant Cramben, aut ad maledicentiæ aculeos sese convertant; ita ut non solùm Concilij Tridentini decretis plurium moderatorum, eruditorum & religiosorum virorum, reformationem precibus, argumentis, omni conatu legitimo expetentium & postulantium, ora obstruxerint; sed etiam in eadem pertinacia adhuc animo obfirmato persistant: Nos quis tantæ obdurationis futurus sit exitus, DEO æquissimo rerum omnium moderatori & æstimatori relinquimus. Quod verò reformatas Ecclesias attinet, videmus has in plerisque sacræ Doctrinæ capitibus amicè conspirare, uno ore & animo crassos Ecclesiæ Romanæ errores damnare, veritatis radijs magis magísque splendentibus

Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas. Augustin. Ep. 205.

oculos aperire; & ad eam, quam vita hæc patitur, perfectionem tendere; & progressum etiam per annos jam centum & amplius fecisse, pro tot annorum spatio, certè non pœnitendum; & in quo jure lætemur, & Deo gratias indesinenter agamus. Videmus autem dolemúsque in Ecclesiis nostris reformatis quasdam lites & opinionum dissidia ita pullulasse, ut in sectas & partium studium sit deventum, & hinc inde in libris editis maledicos clamores rixásque dentatas sit audire. Cum verò unde opinionum istæ dissensiones exortæ sint trutinamus: *plerasque earum papistarum exemplo et deviationibus acceptas esse ferendas arbitramur.* Etenim nobis præiverunt in controversiis de prædestinatione, electione, & capitibus huc spectantibus, & in manus nostras, lites complures hac de re tradiderunt. Deinde in negotio Sacramentorum ita sensui, rationi, scripturarum tenori sese opposuerunt, & omnia versutijs callidissimis, curiosis disquisitionibus, & non necessarijs logomachijs ita turbarunt & obtenebrarunt; ut hos fontes Christiani solatij per Christum nobis reclusos haud facile sit à rudere & quisquilijs injectis liberare; Episcopo autem suo & ejus Dominatui adeo illimitatam & vastam potestatem, tantum cumulum privilegiorum asscripserunt; ut Ecclesia Dei inter nos vix debitum suis Episcopis honorem, & sacros ordines possit retinere, & jus à Deo sibi concessum sine litibus gravioribus vendicare. Ut verbo dicam, Papistarum scholæ totum Theologiæ corpus ita non ne-

neceſſarijs quæſtionibus & ſuperfluis ſuis additamentis fecerunt impingueſcere & intumeſcere; quæ in tot vaſtis & verboſis voluminibus ſparſerunt, ut non citò ad primitivam veritatem & capitum neceſſariorũ tractationem poſſimus redire. Huc tamen reditum properamus, hæc meta eſt, ad quam ſedulò collimamus. Etſi autem inter nos quædam adhuc controverſiæ agitentur, & quorundam Zelo non benè temperato verboſiùs & acerbiùs ventilentur; non tamen omnibus ea animi vis & impetus. Cernimus in pleriſque ingenium moderatius, fraternæ charitatis ſtudium, & conatus, priſtinæ acerbitatis & diſſenſionis tandem poſt multos inanes labores (quod & his qui diu & non ſine magnis impenſis ſeſe forenſibus implicarunt litibus uſu venit) odium & deteſtatio. Quis vero noſtrarum inter nos litium & certaminum (quæ indies decreſcunt & minuuntur) ſit finis futurus, novit, cui omnium cordium pateſcunt ſecreta, DEVS: is, inquam, qui nos ex immenſa illa controverſiarum ſylva, aut Lerna potius ſubduxit, atq; etiam num ſubducet, novit DEVS.

CAP.



CAP. VIII.

Argumentum.

Ex iis, quæ prælibavimus, observationes has colligimus. 1. Quod humanum genus est ad lapsus, errores, hæreses pronum. 2. Quod Satanæ malitia majorum exemplum, personarum admiratio, Scripturarum ignoratio, alicujus mali impēdentis metus; ut & alia quædam, hos lapsus & hæreses invexerunt. 3. Quod quidam cadentes, citò ad mentem saniorem sese receperunt. 4. Quod hos Deus variis modis revocavit. 5. Quod alii lapsi obfirmatius sese in Apostasiam præcipitarunt. 6. Quod affectatio Dominationis, superbia, successus faventiores, famæ sitis immoderatior, & alia ejusmodi ad Apostasiam multos rapuerunt. 7. Quod Deus etiam Apostatarum furorem tentavit variis modis corrigere, & sistere. 8. Quod omnes Apostatæ cum suis asseclis aut gravissimas pœnas dederunt, aut prorsus interierunt.

PLura de schismatis, sectis & Apostasiis; potui addere, sed non tam copia, quam modus heic quærendus. Nam quæ adduxi è

è sacrarum scripturarum penu abundè satis sufficient, ad id quod dicturus sum, illustrandum & demonstrandum. Ex horum enim ingenio tanquam ex pede Herculem cæterorum omnium ortus, progressus, exitus licebit satis supérque contemplari. Quare ex ijs, quæ supra prælibavimus & explicuimus, licet observare. 1. *Quàm facilè humana fragilitas in errores tam fidei quam vitæ labatur.* Si Adamus hujus orbis à Deo constitutus Monarcha, multis tum beneficijs obligatus, tum dotibus divinissimis instructus, & quasi ad obedientiam præparatus, lapsus sit, nihil mirum quòd Thara & Abrahamus, idola coluerunt; quòd Aaron & Miriam in Mosis censura errarunt; quòd Petrus & Barnabas cum alijs dissimularunt; quòd quidam Judæi post Christi passionem cæremonijs legalibus adhæserunt; Quòd etiam alij complures olim, & in nostro hoc ævo, in sectas & schismata graviora incidunt.

2. Observemus *unde hi lapsus & errores provenerint.* Lapsus est Adamus in primum peccatum fraudibus Satanæ; Abrahamus in idololatriam exemplo Tharæ & Mesopotamiorum; Aaron & Miriam in censuram Mosis propter Æthiopissam, quod ignorarunt Dei manum in his nuptijs, & quo animo, qua fide domus Jethroniana erga Mosen & Israelitas fuerit; Hananiah verò pseudopropheta in errorem de reditu è captivitate, & omnium restitutione, perversè interpretando promissa Templo & Hierosolymis facta; Multi post

Christi

CAP. 8. Christi ascensionem in cæremoniarum & rituum amorem nimio studio Mosis & Prophetarum; Corinthij in sectas admiratione Petri, Pauli, Apollinis; Petrus ipse cum alijs in dissimulationem metu circumcisionis.

3. Observemus *nullas in Ecclesia sectas* (de Apostasijs post videbitur) *ab Adamo ad Tharam, quod scimus, fuisse*: neminem antesignanum & signiferum discipulos suos in errorum devia traxisse, & partium studio flagrasse. Tandem verò cum Thara secessit à pijs familijs, doctrinam Semi & Heberi reliquit, & ad Chaldæorum sese idola prostravit; Abrahamus & cum eo Thara Dei monitu ad tabernacula Melchizedeki summi regis & sacerdotis sese quam primùm contulerunt; Aaron & Miriam cum Mose contendentes, statim victas dederunt manus, & in gratiam à Deo fuerunt recepti: Tum autem cæteræ Tribus, audita Rubenitarum & Gaditarum de altari excusatione, omnes statim remiserunt, & valere jusserunt animorum æstus. Populus etiam Israeliticus Baalitarum dolis deceptus, statim Eliæ reprehensione ad saniorem mentem est reductus, & præ pudore obmutuit, & tandem Jehovam Deum suum agnovit. Licet Jezebelis præstigijs captus postea resiliebat. Tum in novo Testamento decretum Apostolicum in Synodo Hierosolymitana circumcisionem & observationes cæremoniales è piorum mentibus citò exemit: Petrus verò à Paulo reprehensus non Paparum quorundam ritu in monitorem suum ferro & flamma desævijt;

desævijt, sed facilis meliori cessit consilio.

4. Observemus *summam Dei bonitatem & misericordiam, qui ab errore mentis & semitis devijs palantes revocavit*; nempe Deus ipse Adamum latebras quærentem, ad pœnitentiam vocavit, & de redemptore erudijt; & Abrahamum à Chaldaica idololatria ad avos suos in terra Chanaan deduxit, & seminis benedicti promissione exhilaravit; Deus etiam Aaronem & Miriam clementer edocuit & castigavit; per Eliam Baalitas confutavit & Israelitas inter duas opiniones claudicantes docuit ὀρθοποδεῖν recto pede incedere. Haud aliter in novo Testamento idem Deus per Synodum primitivam Judaizantes correxit; Petrum ministerio Pauli, Asiæ Ecclesias ministerio Johannis à deviationibus suis in rectum tramitem deduxit.

5. Observemus *quosdam in graviores lapsus & apostasias incidisse, & obstinacius jacuisse*: inter quos in primis mundi temporibus fuere Cain cum suis posteris, & multis ex posteritate Sethi, & Nimrodus cum multis familijs ex Noâ prognatis; Deinde post exitum ex Ægypto Koreh & ejus socij; Jeroboam cum regibus Israelis successoribus suis; Manasses sacerdos transfuga cum alijs Judæis ad Templum Samaritanum; Onias sacerdos cum multis socijs ad magnum illud Templum à Ptolemæo extructum; Deinde post Christi adventum Pharisæi & Sadducæi, qui Christum Messiam mundi autoritate summa docentem,

Cap. 8. centem, & loquentem, ut nunquam anteà quisquam, noluerunt audire, & ab hæresibus suis avocari.

6. Observemus *harum apostasiarum causas & origines*. Cain hæres mundi possessionibus, terræ cultura & externa felicitate prætumidus superbijt, Deum omnis boni autorem ejúsque cultum neglectui habuit, aut non, qua par fuit, reverentia & timore ad offerendum Deo accessit; & tandem pietati Abelis invidens in homicidium, & rebellionem contra Deum incidit. Nimrodus verò pari fastu Dominium in fratres & nomen in terris gloriosum venatus est, suo ingenio, & machinamentis, non Dei providentiæ confisus, Turri Babylonicâ se & suos contra Divina judicia superbè putavit defendere. Jeroboamus studio regnandi & Israelitas suos sub potestate sua & imperio retinendi, jus divinum violavit, à Templo & vero Deo ad sacella sua et vitulos idololatricos populum vocavit. Manasses sacerdos & alij propter ejectionem è sacerdotio, aut criminum quorundam censuram ad Templum Samaritanum defecerunt. Pharisæi errarunt famæ, autoritatis, & lucrorum gratia, Sadducæi ignoratione scripturarum & Epicureâ quadam futuræ vitæ incuriâ, & prætextu rejiciendi omnes omnino traditiones; ambo verò hi facti sunt inimici Evangelio propter Gentes illud amplexantes, & in deploratissimam lapsi sunt rebellionem; in qua in hunc usque diem miseri eorum posteri persistunt.

7. Obser-

7. Observemus *Deum etiam in rebellionem & apostasiam declinaturos non neglexisse ; sed sicut ei visum est, eos ad animi & judicij rectitudinem vocavisse.* Voluit enim veterem mundum Noæ concionibus, & Henochi vaticinijs, & aliorum patrum exemplo & doctrina edoceri. Erant verò tempore Nimrodi plures patriarchæ, utpote Sem, Arphaxad, Sela, Eber, Peleg, quorum tum vitæ sanctimoniâ, tum reverenda autoritate & consilio divino Nimrodus hic debuit ab improbis ejus ausis & tyrannidis affectatione detineri. Ahijah vero Propheta, cum *Jeroboamum à Deo de regno capessendo in* 10 *Tribus admonuit, regni hujusce stabilitatem promisit, si modo in Dei præceptis ambularet* ; Deus verò sæpissimè hunc & successores ejus tum exemplo Judæorum, qui verum Dei cultum observarunt, tum multorum prophetarum concionibus à cultu vitulorum & idolorum revocavit. Quod vero Judæos tempore Christi tum Johannis Baptistæ & Christi, tum Apostolorum, Evangelistarũ & Sanctorũ compluriũ exemplũ & Evangelij doctrina ad pœnitentiam & fidem in Christum & morum integritatẽ adhortabantur, sacra pagina manifestissimè demonstrat. 1 R. 11. 38.

8. Observemus *omnes has Apostasias, tristissimum suæ superbiæ & obfirmationis contra sacras admonitiones & divina vaticinia exitum sensisse, & miserrimè interijsse.* Nam Cainum & totum (octo tantum animabus exceptis) humanum genus, à Deo obstinatiùs divulsum, inundavit diluvium. Nimrod cum socijs in Ethnicismum & omnes impietatis tenebras incidit,

CAP. 8. & tantæ nequitiæ pœnis indoluit; in his verò devijs Gentes ad Christi ascensionem usque ambularunt; & Deo tristissimas, qualibet ætate, suæ insaniæ pœnas dederunt. Jeroboamus & reges Israelitici & 10. Tribus multoties gladio, peste, fame, captivitate miserrimè sunt domiti: Judæi verò Christo Messiæ suo rebelles ante & post Hierosolymorum ruinam, infandos dolores & lanienas cruentissimas pertulerunt; Jam verò per omnes terras profugi sparguntur, *& nisi resipiscant, & Christum Dei, quem crucifixerunt, discant osculari, nulla futura est illis tanti mali & miseriæ medela & sanatio.* Ps 2.

CAP.



Cap. IX.

Argumentum.

Ex pœnis & miseriis, quæ sectis & apostasiis fuerint invectæ, ex felicitate, quæ piis Regibus & populis fuit concessa, ex Dei providentia; quæ doctrinam cœlestem orbi necessariam semper communicavit, et hanc sapientissimam adhibuit orbis administrationem πρὸς τὴν ἡμῶν παίδευσιν ad nostram institutionem (in quos fines seculorum devenerunt) constat, Deum indicasse: quòd oportet nos cautius, quid agamus attendere; & 1. Reconciliationi cum Deo; 2. Paci & concordiæ inter nos mutuæ studere. Quæ ut agamus. 1. Satanæ stratagemata, 2. rerum mundanarum, ut voluptatis, honorum & opum splendor & illecebræ sunt summo studio observanda & cavenda; 3. humana nostra fragilitas est summopere attendenda 1. ut discamus lapsus nostros (ut Petrus à Paulo reprehensus) candidè et ingenuè corrigere; 2. non personarum admiratione in errores trahi; 3. in alios non esse censores nimis rigidi, et eos acerba verborum sugillatione non vulnerare; 4. distinguere inter doctrinam necessariam et firmissimam; et minus necessariam et pluribus litibus obnoxiam.

CAP. 9.

VIdimus ſuprà Doctrinam ſacram & religionis ſummam in omnibus temporum intervallis, ab ipſo rerum initio ad præſentem ætatem mundo communicatam, & quantum ad hominum ſalutem ſatis erat, & divinæ ſapientiæ viſum eſt, manifeſtatam. Vidimus etiam qua ratione Deus tum beneficijs longè illuſtriſſimis, tum pœnis graviſſimis ad vitæ & fidei rectam inſtitutionem ſingulas ætates conatus ſit adducere; Vidimus varias tum ſectas, tum Apoſtaſias, & earum ortum, progreſſum, exitum; Vidimus quomodo ſectas & errores providentia Dei medicâ manu clementer ſuſtulerit, & eradicarit, aut ſi obfirmatiores fuerint, & in rebellionem proceſſerint, pœnis ſeverioribus & conſpectioribus compreſſerit & extinxerit; & quomodo pios reges & religionis promovendæ ſtudioſos multis cumularit honoribus beáritque. Nos igitur jam ſuperſtites quod attinet, ſagaciùs conditionem Eccleſiæ Chriſtianæ præſentem intueamur, eámque cum ſtatu ejuſdem temporibus jam pridem elapſis conferamus. Quæ enim antea ſcripta ſunt, ſcripta ſunt

1 Cor. 10. 11.

πρὸς τὴν νουθεσίαν ἡμῶν, ad nos ritè informandos; ut nos, in quos fines ſeculorum devenerunt, ea mentibus noſtris ſeriò ponderemus, alieno periculo eſſemus cautiores, & noſtræ ſalutis, & felicitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſiores. Nec parum ſanè ad curſum noſtrum & vias rectè inſtituendas faciet, noſſe qua ratione Deus pacis omnia ita diſponat, & nos pro ſumma

ejus

Cap. 9
ejus sapientia dirigat; & quibus nos freti consilijs & medijs ita Deo præeunti obtemperemus, ut Ecclesia jam multis malis & miserijs pressa ad feliciorem conditionem aspiret. Sedulò igitur teneamus, & semper ob oculos tanquam scopum positum habeamus: Duo esse maximi (quod nos spectat) momenti & ponderis; in quæ Deus pro summo suo in nos amore collimat. 1. Ut nos qui sine *Christo eramus perditi & ira divina obnoxij, Evangelio pareamus, Deo nostro reconciliemur, pacémque cum eo faciamus.* Hanc ob causam missus est Jesus Christus, mediatorísque partes egit, & sermonem hujus reconciliationis Apostolis & eorum successoribus dedit; *qui nomine Christi legatione funguntur, et velut Deo rogante orant Christi nomine, ut omnes ubique Deo reconcilientur; Et in opere ministerij elaborant, ut Sancti convocentur, et Christi corpus,* id est, Ecclesia *ædificetur.* 2. *ut pacem alij cum alijs habeamus, unita opera sub Christi vexillo militemus, & unitatem Spiritus in vinculo pacis conservemus.* Sicut enim non est tolerandum membrorum cum capite dissidium; sic nec membrorum inter se divisio. Nec certè fieri potest, ut Deum quisquam verè amet, eique obtemperet, qui fratrem odio habet, & ejus salutem promovere non satagit. In hæc duo si mentis nostræ oculos semper habeamus defixos, multò rectiùs ad Dei gloriam actiones nostræ conferent; nos curriculum vitæ nostræ despiciemus & quod nostrarum est partium, sumus

Col. 2. 2.
1 Joh. 2. 23
Eph. 4. 5.
2 Cor. 5.
Eph. 4. 12.
Phi. 1. 30.
& 2. 2.
Eph. 4. 3.

Cap 9. mus facturi. Sunt enim multa à nobis attendenda & agenda, quæ in hanc tendunt metam. Ea verò ex ſuperioribus, quas nobis temporum ab orbis initio intervalla ſuppeditarunt, obſervationibus; & è novi Teſtamenti monitis & præſcriptis paſſim occurrentibus ſunt jam depromenda. Ut igitur Dei conſilio ſubſerviamus *primo in noſtra cum eo reconciliatione obtinenda, ſecundo in hominum cum hominibus concordiâ, & ſincerâ Sanctorum communione firmandâ*, quæ ambo Deus ſæpiſſimè & ſumma cum *obteſtatione à nobis poſtulat, cautius multa ſunt obſervanda.*

Primo mira et pernicioſiſſima Satanæ ſtratagemata ſunt cavenda. Hic enim olim inimicitias inter Deum & Adamū excitavit; & jam antiquū obtinens non illud ſolùm, ſed et homines inter ſe committere ſatagit. Siquidē cum primùm
Act. 4. 18. radios ſuos exeruit Evangelium, Satanas *fecit Presbyteros denuntiare, ne Apoſtoli omnino loquerentur, & nomine Ieſu Chriſti docerent;*
1 Theſ. 2. 15. *Iudæos vero fecit, Chriſti præcones ejicere, omnibus hominibus adverſari, & prohibere ne Gentibus ſalutem prædicarent:* 1 Theſſ. 2. 18. *Satanas etiam Paulum impedijt, quo minus Theſſalonicam adiret;* ut manifeſtò conſtet, hujus aſtutias Phariſaicum multis ingenium indidiſſe, fovíſſeque; ut regnum cœlorum nollent ipſi ingredi, & ingreſſum alijs pro virili obſtruerent. Hi certè erant *antiquæ Echidnæ γεννήματα progenies viperarum, ex patre Diabolo, & illius opera fecerunt.* Act 13. 10. *Rectè igitur Elymas Magus, qui fidei Chriſtianæ propagationem in inſula Papho voluit*

luit subvertere, filius Diaboli, & inimicus omnis justitiæ audijt. Nec ignobiliores solùm & in populo abjectiores ad hoc scelus excitavit hic humani generis hostis; sed qui *Iudam intrare potuit*, eúmque adversus Dominum Jesum instigare; potuit etiam *impias Dominationes inspirare eósque adversus Christianum populum* & veræ religionis professores armare & impellere. *Unde homo ille peccati, & filius perditionis, sceleratus ille præ se ferens Deitatem* κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ *secundum efficacem operationem Satanæ valde potens est, & mirabilia operatur signa, et prodigia mendacia.* Hinc autem est, quod *potestas illa ferinos mores ex pluribus bestijs noxijs horrendísque accumulans, à Dracone illo, seu serpente, qui nuncupatur Diabolus et Satanas, autoritatem accipit: ut blasphemando Deum Sanctósque et contra eos bellando cursum Evangelij retardet, et inimicitias inter semen suum impium et semen mulieris propaget.* Quod si verò Dei verbo non possit hominum aures occludere, statim veniens *semen verbi ex animis eorum, ut aves semen juxta vias sparsum, surripit; aut persecutionum terrore, aut mundana solicitudine et curis reddit infrugiferum.* Sunt huic veteratori exercitatissimo mille nocendi artes, *methodiæ deceptionum abstrusæ,* βάθη *seu profundæ quædam machinationes plurimis tectæ prætextibus et velis;* quibus incautos, implicat, fallit, pessundat. Ut verò Adamum νεόπλαστον nuper formatum, & ad astus cavendos neutiquam exercitatum, & assuetum, citò retibus suis illaqueavit:

Luc. 22. 3.
2 Thes. 2. 4
Apoc. 13. 4
Apoc. 12. 9 & 20. 2.
Mat. 13.
Mar. 4.
Eph 6. 11.
Apoc. 2 24

CAP. 9.

1 Tim. 3. 6. queavit: sic νεοφύτους *novitios*, & *nuper aut ad fidem conversos, aut ad aliquod in Ecclesia munus vocatos* (*ac proinde ad majora de se existimanda & appetenda pronos*) *cupit irretire*. Luc. 22. 53 *Novit scilicet horam tenebrarum*, omnes temporum commoditates, & locorum opportunitates, & tentationes ad occasionum fluxus & refluxus aptat; ut quò flumen infirmitatem nostrarum vehit & passionum ventosarum impetus rapit, nos impellat præcipites. Qui esurientem *Adamum pomo*, *Christum pane è lapidibus faciendo tentavit*; *is etiam* Mat. 26. 15 *Christianos dulci honorum*, *divitiarum &* 3 Joh. 9. *voluptatum esca*., *ut Judam*, *Diotrephen &* 1 Tim. 5. 11. *viduas juniores ad peccandum alliciet*. *Immo si ei facultas indulgeatur*, *in pecora*, *in domos*, *in* Job 1. & 2. *opes*, *in servos*, *in liberos piorum* (*ut in Jobi patet historia*) *saviet*: Ut constantem eorum in fide & charitate progressum retardet aut abrumpat. Etiam ea nunc est *hujus malitia & nocendi ardor*, *qualis olim* fuit, cùm præsente Christo *Gergasenos porcorum submersi-* Mat. 8. *one occacavit*; ne miraculo Christi virtute in Dæmoniacum edito Gergaseni hi ad fidem converterentur; sperans inde futurum, ut porta heic Evangelio adaperta occluderetur. Nunc autem cum videat orbis olim ignoti portas & Indiæ utriúsque aditum nobis patere; & tam illos nostras artes & scientias admirari, quàm nos studio populum tam numerosum, ad Evangelium Christi convocandi & commercium cum regionibus illis omni rerum copia florentissimis lucrandi, instigari & animosè

mosè ferri: nulla ratione faciliùs opus Dei tam gloriosum putat se posse impedire, quàm si crebras inter nos rixas & contentiones excitet, & omnia bellis & tumultibus misceat. Non minimas etiam suæ malitiæ & furoris vires exerit; cum crimina, opprobria, suspiciones, obmurmurationes & obtrectationes clandestinas inter Christi servos disseminat spargítque, quibus distrahuntur illorum animi, ne unitis viribus ad Ecclesiæ limites dilatandos consurgant. Nam qui *Jobum virum fide & pietate insignem ausus est, Deo, cui nihil ignotum, hypocriseos & fictæ pietatis insimulare*; quâ fronte, quo prætextu ausurus est Dei servos, qui pluribus sunt infirmitatibus circundati, qui sese invicem non satis norunt, & animos habent ad malè de proximo suspicandum nimis proclives, mutuò inter se armare, & susurris mendacibus, criminibúsque confictis incendere? Novit *linguam membrum esse pusillum, at sese efferre magnificè, et instar ignis exigui materiam amplissimam inflammare; novit linguam flammam esse, & mundum iniquitatis, et ita inter membra nostra esse constitutam, ut totum corpus maculet, & cursum naturæ accendat. Inflammata enim est à Gehenna, & omnibus feris est indomabilior. Qui verò olim in ore prophetarum falsus & mendax fuit Spiritus, & plures prophetas in unam traxit erroris foveam, potest ita se * in Angelum lucis, pseudapostolos in veros Christi Apostolos, synagogam * Satanæ in Christi Ecclesiam transformare*; ut vix, aut ne vix quidem appareat falsari-

Job 1.
Iac. 3. 5.
1 Reg. 22. 22.
* 2 Cor. 11 13.
* Apoc. 2. 9

Cap. 9. falſarius & impoſtor. Quid igitur faciemus? quo noſmet vertemus? Deo adhæreamus, *domum noſtram ſuper Ieſum Chriſtum Petram ædificemus nullis tempeſtatibus concutiendam, nullis fluminum inundationibus ſubruendam.* Veritati in ſcripturis ſacris planè plenéque, quantum ad ſalutem noſtram ſatis eſt, expoſitæ aſſentiamur. Si quos autem in Eccleſia videmus contrarias opiniones de rebus dubiis longa argumentorum, magna vocis, acerrima calumniarum contentione propugnare: certò ſciamus hunc fumum, has nebulas, excitaſſe Diabolum: ut veteratoriam aliquam artem exerceat, rebus non neceſſarijs Eccleſiam turbet, & tumultus ad lucem Evangelij extinguendam moveat. Fons ſalutis nobis ſine tanto ſtrepitu patet adeundus; nec neceſſe eſt, ut in Syrtes dubiarum quæſtionum, aut profundas diſputationum ſpeculationes feramur. Eſt nobis alia militia, ſunt hoſtes alij; nobíſque ſatis eſt negotij, mundi & carnis & Satanæ his in noſtram perniciem abutentium verſutias cavere, & Chriſti nos clientelæ com-

Gen. 3. mendare. *Hic enim caput ſerpentis pro nobis*

1 Joh. 3. 8. *contudit, opera Diaboli ſolvit, morte ſua eum,*

Heb. 2. 14. *penes quem mortis vires ſunt, fruſtratus eſt;*

1 Cor. 15. 55. *ut mors victoriam; infernum, ſuum aculeum perdiderit; ut omnes ejus inimici facti ſint ei pedum ſcabellum.* Neque illud ſolùm; *ſed &*

Rom. 16. 20 *Satanam ſtatim ſub pedibus ſuorum conteret;* ut Joſua Chananitarum regum colla proſtravit ſuis ducibus calcanda. Sicut autem *Chriſtus inimicos ſuos virga ferrea contundit, ſic etiam*

ſuis

suis in mundi lucta vincentibus potestatem dabit Gentes virgâ ferreâ, sicut ipse accepit à patre, comminuendi. Sicut Christus ipse super omnes potestates triumphat; sic Deus efficit, ut nos in Christo triumphemus, & ὑπερνικῶμεν, id est, *non solùm victores simus; sed etiam victores in æternum permaneamus.* Si igitur viribus nostris non confidamus, sed Christo innitamur; de rerum summa nihil dubitandum. *At nondum omnia de facto sunt Christi pedibus subdita;* nec nos adhuc de facto ad salutis portam appulimus. Dum ergo in hoc vitæ præsentis Oceano jactamur, procellas exspectemus, tribulationes plures & graves perferendas sciamus; omnia nobis, quæ aut Diabolus aut mundus possunt mala congerere (nisi Christus noster prohibeat) impendere cogitemus. Nullas tamen cum Satana inducias faciamus, *nunquam illi locum demus, sed ei sobrij & vigilantes resistamus; firmi in fide & Dei timore persistemus, & nos Christi fidei & tutela submittamus. Is vero qui nos paulisper sinit affligi, tandem ad æternam cum Christo gloriam vocatos perficiet, stabiliet, confirmabit.*

Ps. 2.
Ap. 2. 27.
2 Cor. 2. 14
Rom. 8. 37.
Heb. 2. 8.
Mat. 26. 41
1 Pet. 5. 8.
Eph. 4. 27.
1 Pet. 5. 10.

20. Deinde cavendum est, *ne animos nostros rerum mundanarum splendor fascinet, & illecebris honorum & voluptatum inebriet.* Nam immoderata dominandi libido, & successus in populi animis sibi devinciendis & subjugandis nimis secundus, ad omnia jura violanda & perfringenda regnandi causa quosdam antehac exsuscitavit. Huc vero si aspirant

homines τὸ ἔθος θρασεῖς, μεγαλοπόνηροι ἀποβαίνουσι:
Arist. Polit. 5. *ingenio audaci, gnaviter fiunt improbi.* Nihil enim est, *quod de se credere non possit*, & contra æquum & bonum non velit affectare cum à palponibus *laudatur* (quæ dicitur) *Dijs*
Iuvenal. *æqua potestas*. Hinc erat, quod Cain & ejus posteri indefesso conamine urbes struxerunt, laxis habenis ad epulas delicatiores, compotationes profusiores, nuptias & amores libidinosos proni ferebantur; & Giganteis viribus superbientes, tyrannidem Deo oppositam, pijs infestam, invexerunt. Hinc etiam Nimrodus populum, quem *Deus jussit orbem incolis replere*, turris Babylonicæ structura retinuit, & humana, stulta, & superba inventione occupatos detinuit, fecítque non Dei præsidio, & promissioni & Iridi fidem facienti, nunquam rursus diluvium terras innudaturum; sed suis machinis salutem suam concredere. Postea
Dan. 4. 30. veró potestas Babylonica, eodem superbiæ tumore inflata eructavit. *Nonne hæc est Babylon illa magna, quam ego magnificè extruxi,*
Es. 14. 13 14. &c? *Et, Cœlos ascendam, & thronum meum*
Dan. 3. *super stellas Dei, Montem sanctum, & nubes*
* Plutarch. in vita Themistoc. Diod. Sic. lib. 11. Isoc. Panath. Persæ homines adorant, Deos negligunt. *exaltabo. Et Nabuchadnezar, quando furore magno incensus, jussit Shadracum, Mesacum & Abednegonem in fornacem ardentem conjici, impiè vociferavit: Quis Deus est, qui vos è manibus meis potest liberare?* Nec minor erat Persarum dementia, *qui Deorum ritu* * *voluerunt adorari: jusseruntque montes perfodi, et flumina exsiccari; ac si dedignarentur humano more iter facere*; & hominum multitudine idem

idem aut majus aliquid, *quàm summa sua potentia Deus in maris rubri transitu*, essent facturi. Quò verò inexplebilis *honoris & imperij sitis Alexandrum Magnum rapuit, cui victori unus, quo contentus fuit Deus rerum omnium conditor, non sufficit orbis?* Quid quarti regni Danielitici impietatem & immanitatem dicam? quas *Spiritus per Bestiam terribilem decem cornibus, & dentibus ferreis armatam expressit; & tam ferocem futuram denuntiavit, ut devoraret, & comminueret undique, & reliquum sub pedibus conculcaret.* En quo Dominandi amor, & habenas orbis moderandi & tyrannidis exercendæ furor, fragilem effert mortalitatem! quam vastas spes omnia ad libitum suum & nutum tractandi, humanitas vel unica febri facile domabilis concipit! Nec tempora solùm superiora infestarunt hujusmodi hominum monstra, sed post Christi etiam incarnationem *Ecclesiæ trucissima ostenditur Bestia rictu leonino, pedibus ursinis, feritate pardi, draconis robore, ore blasphemo, septem capitibus, decem cornibus horrenda.* Quas verò tragœdias, quas strages, quas lanienas non datura fuit Deo exosa, hominibus exitiosa tanta Monstrositas! At prodigium aliud est, quod orbis plus multò horreat tremátque. Surrectura enim erat *alia Bestia, agno vultu & cornibus similis, quæ tamen os fuit habitura Draconicum, & immanitatem prioris illius Bestiæ formidabilis & execrandæ; quæ, cum acta superioris Bestiæ crudelissima adæquet, est ad decipiendum signis fictis-*

Iuvenal.
Dan. 7. 7.
Dan. 8. 9.
Apoc. 13. 1.
Apoc. 13.

Cap. 9. *fictisque miraculis multò instructior.* Siquando autem *agnus vulpinam induat naturam*, immo
Mat. 7. 15. vulpinâ multis gradibus tetriorem (contra
Es. 11. 6. 7. Dei voluntatem, *qui pacem inter animalia, Lupum & Agnum, Pardum et Hædum, vitulum et Leonem, Puerum et Aspidem, hostili olim inter se affectu commotos fecit*) quæ non
Ps. 36. 1. exspectanda atrocitas & truculentia? Eò autem horridior est hujusmodi feritas, quoniam nullo Deitatis timore, multò minùs hominum reverentia tangitur; sed plenis velis & cæco impetu undique grassatur. Quod superbæ istæ cordis tyrannici ebullitiones liquidò
Psa. 64. 5. testantur. *Quis machinationes nostras (retia*
Es. 29. 15. *enim sua occultè* & subdolè tendunt) *videt?*
Ps. 59. 6. *quis* (cum canum instar latrent, & in labijs
Ps. 12. 5. gladios gestent) *nos audit? Lingua nostra et labiorum nostrarum penes nos jus est: quis*
Jer. 49. 4. *supra nos Dominus? Quis nos* (thesauris
Ps. 73. 11. cumulatissimos & regionum situ tutatos) *potest*
Exod. 5. 2. *invadere? quomodo Deus, quæ facimus, cog-*
2 Reg. 18. *noscet? notitiáne est in excelso? &, Quis est Je-*
28. 29. *hova, ut ejus voci auscultem? Quis potest quenquam è manu mea liberare?* Nec solùm grandiloquentia & verbis hujusmodi sesquipedalibus intumescunt, sed & copijs & com-
* Jos. 11. 4. meatibus vastissimis orbi sunt terribiles. So-
Jud. 7. 12. lent enim multarum * Gentium auxilia con-
1 Reg. 20. 27. jungere, *& populum ducere multitudine lo-*
Eze. 38. 4. *custis aut arena in maris littore pares; & catervis*
Rev 20. 8. *camelorum, equorum & curruum numerosis-*
Mat. 10. 16 *simis regiones replere; cum exercitus piorum*
1 Reg. 20. 17. *sunt exiguo agnorum aut hædorum gregi simillimi.*

Cap. 9.

limi. His verò copijs minantur & cogitant nationes non paucas (quid dicam castigare, & Psa. 10. 7.
flagellare ?) *perdere & extinguere*. Hunc in modum magnificè loquentes, & superbiùs sese venditantes, cœlo os suum opponunt & factis θεομαχοῦσι *contra Deum præliantur*. Unde fit, *ut populus multus coram ijs procidat*, eorum Psa. 7.3.9.
nutui obtemperet, eósque, ut infirmiores volucres aquilam prædatricem, sectetur. Hinc enim turbæ sequaci, quod bibatur è pleno poculo ministratur; *hinc non exigua commoda sunt exsugenda*. Siquidem secunda prosperitatis aura, & copiosa honorum, voluptatum, victoriarum messis omnium oculos & mentes ita solet præstringere; ut consilio, exemplo, societate, ductu malorum, in deteriorem facillimè inclinent partem. Habebit enim *Jeroboam quispiam decem tribus sese* 1 Reg. 12.
vitulis aureis incurvantes; cum dua tantùm 20.
cultum divinitus institutum amplectuntur. Erunt 450. *sacerdotes Baalis; cum solus ex* 1 Reg. 18.
prophetis Dei in conspectum prodit Elias. Ha- 19.
bebunt mundanæ tyrannides *suos Rabsekas*,
qui plenis buccis gloriam & potentiam suo- 2 Reg. 18.
rum dominorum deprædicabunt; habebunt 28.
suas Jezebelas, quæ reges suos ex improbis
efficient multò improbiores; habebunt asse- 1 Reg. 21.
clas, qui de Bestiali & Draconica dominatione 7.
gloriabuntur; *quis huic similis ? quis cum Dominatione hac poterit dimicare ? Ita ut u-* Apoc. 13.
niversa terra Bestiam & Draconem admirabunda sequatur & adoret. Quare quæ pijs cautio, quanta vigilantia & fortitudo ingenijs

se-

Cap. 8. sequacioribus adhibenda est; ne tantis & tam speciosis illecebris captentur, seducantur, succumbant. Sensit Satan, qui nihil non ad nostram perniciem faciens, nimis acutè sentit & struit, & machinatur, quantum valeant ad hominum animos inescandos omnia mundi regna, & eorum gloria; & promissi satis prodigus, *hæc omnia*, inquiet, *vobis dabo.* At mendacij pater more suo falsus, omnibus totius orbis imperium & habenas expetentibus imposuit. Nam jus hoc Imperiale solius Dei, Jesu Christi est privile-

Psa.72.11. gium. Nempe ut *omnes illum reges venerentur, omnes populi illi serviant; ut omnem in cœlo & terra habeat potestatem; ut ejus regnum*

Mat.25.18 *perstet inviolabile; ipséque jure celebretur*

Dan. 7. Rex Regum & Dominus Domi-

Ps.29. 10 nantium. Siquando verò *Deus Mo-*

Apoc 17. 14. *narchis quibusdam amplissimum indulsit do-*

Apoc. 15. *minium, eósque Reges regum, Dominos do-*

Ezek 26.7. *minantium, & servos suos vocavit; erant ta-*

Dan.2 37. *men hi nihil aliud, quam mallei, secures,*

Jer.50.23. Es. 10.15. *virgæ, baculi, serra in manu, ejus* quibus impium orbem afflixit & contudit; suúmque terminum & periodum ijs omnibus, (*ut Ba-*

Jer.25.11. *bylonijs expressè spatium annorum* 70. *dum*

Jer.27.7. *regnabant pater, filius nepósque*) corúmque fixit imperio. Hinc erat quod tyrannis Cainitica diluvio immergebatur, Nimrodica confusione linguarum fuit dispersa, Jeroboamica multis ictibus contusa tandem captivitate Assyriaca fuit deleta, Babylonica in nepote fuit decocta, Persica sensim luxu & delicijs lique-

facta

facta fuit, Alexandri Magni, haustu poculi venenati sublata, & quarti regni Danielitici è ferro in lutum degeneravit. Verè igitur sensit *Ethnicus, qui Deum dixit* τῶν ὑπερφρόνων κολαστὴν *Superborum domitorem*. Nam hic (ut Apostolus) τοῖς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, *contra elatos militat*; contra verò quemcunque militat is, facili negotio victoriam est reportaturus. Est enim ille Dominus exercituum non solùm horum inferiorum, *sed & duæ myriades, millia multa Angelorum, qui ejus sunt currus, ei famulantur*. Ita ut sine pulvere & sudore *dissipet populum, qui bello delectantur; machinamenta eorum frangat; montibus seu regnis prædatoriis sit fortior; spiritus Principum domet, & Regibus rebellibus sit terrori. Qui in momento perduntur, consumuntur & in desolationem abeunt. Scilicet* * *omnis terrena gloria, opes, copiæ, robur, sicut graminis aut lauri viriditas flaccescit, sicut adeps agnorum, cera, limax, abortus mulierum deperditur, sicut pulvisculus aut gluma quovis vento omnipotentis dispergitur*. Omnis eorum prosperitas nihil est aliud, quam somnium. Nam cum Dei judiciis & terroribus sunt expergefacti, *sentiunt se famelicos, vacuos, lassos, miserrimos. Licet animo suo concipiant domos suas in seculum, & habitacula sua in omnes generationes permansura, & terras suas suis nominibus insigniant: Jehova tamen irrita facit eorum consilia, & cogitationes nationum pessundat; ipsósque irâ suâ tanquam igne omnivoro exedit consumitque*, ut reverà

Menand.
Jac 4. 6.
Psa 68. 17.
Psa. 68. 35.
Psa. 33. 10.
Psa. 76. 4. & 12.
Psal. 73. 19
*Ps. 3. 2. 8. 35.
Psa. 58. 8.
Es. 29. 5.
Ps. 73. 20.
Ps. 49. 11.
Ps. 33. 10.
Dan. 7. 11.
Apoc. 14. 10

Cap. 9. experiantur ſeſe fuiſſe ἐλπίδων ἀκρανμένων μέστοι *ſpe irrita plenos*. Nihil eſt igitur, ut pronis affectibus machinationes Monarchiarum gladio & armis potentiſſimè vibratis, aut conſilijs & inſidijs callidè contextis graſſantium admiremur, & ſocijs auxilijs adjutemus.
Pſal. 58. 5. *Omnia enim hac (niſi Deo incantanti & meli-*
Pſal. 2. 4. *us docenti pareatur) in fumum abitura ridet*
Pſal. 59. 8. *omnipotens*. Quoniam diem *illorum videt adventantem*. Satius multò eſt concordi & unanimo conſenſu & conatibus benevolentiam inter homines, pacem cum Deo firmare, & Chriſti regnum promovere; & ſaniora ſunt Regum Chriſtianorum conſilia, qui avitis regnis contenti gloriam Dei (ut David) quavis anſa arrepta, non ſuam aut populi ſui cantitant & promovent; *qui Chriſtum in ſecula ſeculorum viventem adorant, & coram ejus*
Apo. 4. 10. *throno coronas ſuas deijcientes, omnem illi gloriam, honorem, dominationem, & gratiarum actionem tribuunt & aſcribunt.*

3. Non ſatis eſt Satanæ ſtratagemata & mundanas illecebras vitaſſe, niſi *natura noſtra depravationem, & humanam fragilitatem hoſtem noſtrum domi et intùs latitantem caveamus.*
Job. 4. Quænam enim eſſe poteſt in nobis, qui *luteas*
Pſal. 103. 14 *habitamus domus, ſtabilitas?* quænam in diviniori noſtra parte, quæ indomitis ſubinde agitatur affectibus, rectitudo? Si Adamus ad Dei imaginem factus, & excellentiſſimis dotibus inſtructus cecidit; qui fieri poteſt, ut nos miſelli ſine errore vitæ hujus curſum con-
Gal. 5. 17. ficiamus? *Manent in optimo quoque, dum in*

hac

hac mortalitatis valle militat, reliquia & fibra quadam impuritatis, quæ vires suas divino Spiritui contrarias ita exerunt, *ut facere non possit quisquam pius, quæ velit. Medicus* * *quatenus Medicus non errat* : nec Christianus, quatenus Christianus & Spiritu Christi motus ; at qui medicus & Christianus, est etiam homo. *Nihil ergo humani à se alienum cogitet* ; sciat se erroribus obnoxium. * Sit verò in quopiam serium & constans religionis & veritatis, pietatis & charitatis studium : ea tamen carnis est imbecillitas, eæ mentis tenebræ ; ut † λανθάνῃ πρὸς πολλὰ τῶν φαύλων καὶ ἁμαρτημάτων εὐχερὴς γινόμενος, imprudens in multa labatur vitia & errores. Si Aaron & Miriam malè judicarunt de Mosis nuptijs cum Æthiopissa, & Koreh Levita de ordinibus Ecclesiasticis, Dei jussu, & Mosis ministerio constitutis ; Si Christiani quidam benè animati & pietatis studiosi nimio cæremoniarum Mosaicarum amore, & Corinthiaca Ecclesia admiratione quadam personarum Pauli, Kephæ, Apollinis peccarunt ; Si Christus non pauca invenit in primitivis Asiæ Ecclesiis culpanda & corrigenda ; si ipsi Christi Apostoli errarunt, terrenum Messiæ sui regnum exspectando, quis potest se omni nævo & maculâ erroris liberum judicare ? quis in tantâ opinionum varietate, quanta jam orbem infestat, novit se semper ὀρθοποδεῖν recto pede incedere ? Certo certius est nec Augustinum, nec Hieronymum nec reliquos Christianæ Ecclesiæ patres ita fuisse oculatos, nec mentis ac-

Cap. 9.

Jac. 5.

Rom. 7. 19.

* Plat. rep.

* Δεξάζομεν ἄμεινον, διὰ δὴ κακίαν αἱρῶμεν οὐχ᾽ ἃ δεῖ. *Recte sentimus, sed ob pravitatem nostram non eligimus, quæ nos oporte*. Arist. Ethic. 3.

† Plutarch.

Cap. 9. acumine & Spiritus adminiculo ita insignes, & humanitatis sorte exemptos, ut omnia viderint, & nihil non sine errore judicarint. Nos autē cum non simus patribus his cæterísque prudentiores, aut veritatis indagandæ tenendæque privilegio instructiores; sed cum tempestuoso opinionum freto, & controversiarum procellis multò magis confligtemur; necesse habemus nostræ infirmitatis sensu & facilitate errandi dejici, & ad modestè de nobis sentiendum & de alijs judicandum præparari. Quare primas sapientiæ & integritatis partes non assequuti, secundas ingenuitatis teneamus.

Et *primò in nos descendamus, candori litemus: nec simus* † *φίλαυτοι καὶ αὐθάδεις, nostri amantes & nobis placentes,* sed agnoscamus nos extra errandi aleam non esse positos, sed quod humanitatis est, posse decipi. *Qui sese putat omnia tenere & exactè nosse, & τὸν πλησίον οὐδὲν ἔμμεναι, ἄφρων ἐστί vicinum nihil esse, insipiens est*; ut sensit * poeta. Caveamus igitur ne nos occæcet nimius nostri amor, ne domi talpæ simus, foris Argi. Nequit oculus suam ipsius maculam cernere: & iniqui sunt plerique de seipsis judices: *τὸ δὲ αἴτιον, ὅτι περὶ ἑαυτῶν ἡ κρίσις* *ejus rei causa est, quia de seipsis judicant.* Imitanda heic est medicorum solertia, qui in morbis proprijs aliorum medicorum opem & judicium implorant: *quia fieri non potest quin male judicent περὶ οἰκείων καὶ ἐν πάθει ὄντες de proprijs morbis, & quoniam ipsi male sese habent.* Nos autem quoniam passionum variarum

† πάντες γὰρ φίλαυτοι, ἢ μᾶλλον ἧττον. Omnes enim nimium sui amantes, vel sunt nimium sui amantes Arist. Rhet. 1.

* Theognis.

Arist. Polit. 3. 9.

Arist. polit. 3. 15.

riarum infirmitate laboramus, & *ad censendum* τὸ ἴδιον ἡδὺ, *quicquid nostrum est, dulce esse*, & opiniones proprias (ut corvus suos pullos) pulcras esse, proni sumus; *sinamus opiniones nostras* * *ab aliis medica tractari manu.* Si *D. Petrus* cum Christo diu versatus, & in Apostolorum choro, quód ejus ætatem & zelum spectat, antesignanus, *erravit Judaizando*, quid de nobis egregiè sentimus? qui inter fratres nostros iisdem quibus nos affectibus & infirmitatibus, litibus & oppositionibus obnoxios versamur; ac si fieri non possit, ut in aliquam erroris foveam incideremus; ac si viri soli essemus & nobiscum moritura esset sapientia. Datur nobis in Petro humanæ infirmitatis speculum: malè verò consulti sumus & temerarij, nisi in eum oculos nostros convertamus, & fraternam alicujus increpationem, ut Petrus Pauli modestè feramus: & satius putemus recurrere, quam in erroris semita festino gradu progredi. Deo autem visum fuit permittere Paulum dogmatibus Pharasaico fermento infectis pasci, & diutius in illorum erroribus stertere. Postquam vero *Paulus experrectus fuit & conversus*, & *nihil* τῶν ὑπερλίαν Ἀποστόλων ὑστέρηκε, *non inferior fuit summis Apostolis & in tertium fuit cœlum raptus*, *Deus potestatem fecit Satanæ, ut hunc colaphis cæderet: ut inde propriam suam infirmitatem disceret agnoscere, & Dei erga se bonitatem celebrare, & præsentis gratiæ auxilia deprædicare.* Fieri autem potest, ut Deus quosdam

Arist. Rhet. 1.

* *Ut corporis ulcer. à medici.* Clem. Stru. 1.

Gal 2.

1 Tim. 1. 13.

2 Cor. 12. & 11.

CAP. 9. dam divinis ingenij & judicij dotibus ornatos, & multiplici bonarum literarum penu ditatos sinat in errores aliquos abripi, & in ijs per aliquod tempus jacere: ut propriæ infirmitatis sensu castigati ad veritatis propugnationem, postquam ad judicij sanitatem sunt conversi, fortiùs consurgant, & divinæ erga deviantes bonitatis gloriam extollant. Nos igitur cum variarum opinionum clamoribus quotidiè jam obtundamur, & huc illuc in rebus dubijs argumentorum conflictu feramur, sciamus *incidere posse horridiores fluctuum agitationes, & ventorum luctas*, quibus superandis pares non simus, sed, ut *Petrus in aqua*, nos in errore aliquo, nisi dexter ad-

Mat. 14. 30. sit Christus, *incipiamus καταποντίζεσθαι submergi.* Quare cũ sacra tractamus, & profunda scripturarum mysteria scrutamur, ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ

1 Cor. 23. πολλῷ πρὸς ἀλλήλους γινώμεθα *in timore & tremore multo erga alios nos geramus.* Si vero aliquid nobis humanitùs contingat, ut erremus, nullus tamen cæcus affectus ita nobis imponat, ut in errore perseveremus.

Secundo quoniam *facilis est humanitati lapsus, & error sapientissimis quibusque & cautissimis non rarò obrepit*, caveamus ne exemplo aut ductu majorum * aut admiratione quarundam personarum seducamur. Quandoquidem nobis Christus est Doctor, & ejus dici discipuli magno ducimus honori: minimè nos decet magnos errores magnorum virorum autoritate attonitos imbibere. *Absit ut simus* † καταδεδουλωμένοι τὴν κρίσιν ὑφ' ἡρωικῶν ὀνομάτων

* τῶν κακῶν προγόνων φεύγειν τρόπους χρὴ τέκνα, οἷς ἔνεστι νοῦς. *Oportet filios, qui sapiunt, malos parentũ mores fugere.* Euripid.

† Plutarch. de audiend. Poet.

μάτων quasi mancipato et servo judicio propter nomina quædam heroica. Fit enim quandóque ut ἐνδοξιμοῦντες σὺν τῇ ἀληθείᾳ ποιοῦνται ἀγῶνας; *quidam nominis celebritate veritatem impetant*, & in re literaria tyrannidem exerceant. Melius multo Socrates, qui etsi duxit, * οὐ ῥᾴδιον ἀπιστεῖν Σιμωνίδῃ *non facile Simonidæ fidem denegare sapientiæ gloria nobilitato; ejus tamen opiniones & argumenta, ad rationis † trutinam revocavit & sedulò examinavit*; Possunt enim multa dici παγκάλως ∵ *admodum venustè, non tamen, si bene examinentur*, ἀληθῶς *verè*. Sit verò nobis amicus Lutherus, amicus Calvinus; attamen * Δεῖ προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, *veritas omnibus omnino relationibus præponderat.* Vetus fuit amicitiæ canon; *Amicus ad aras*; qui & in hac re obtinere debet. Sic fiet ut viros à Deo egregijs & admirandis dotibus instructos colamus & amemus: nec tamen eorum vitia pro virtutibus suspiciamus, aut errores cum sanis illorum opinionibus degluttiamus, et διὰ τὴν τῶν πραγμάτων συγγένειαν *propter rerum affinitatem erremus.* Non ausi sunt, qui quidlibet audendi potestatem sibi habebant indultam, quenquam fingere omni expertem crimine & macula. Aliquis etiam *in pulcherrimo corpore nævus erit.* Quis in longo & operoso vitæ itinere, in scriptis res & opiniones varias complectentibus non aliquando dormitat? Habet optimus quisque Christianus, licet multò pauciora scribat quam Augustinus, quæ cum eo retractet. Et qui cum religiosissimo aliquo Christiano, *ut*

Lucian. Timon.

* Plat de rep. lib. 1.

† Veritati cedendum οὐ διὰ τὸν λέγοντα, ἀλλὰ διὰ τὸν λόγον *non propter personam, sed rationes dicentis.*

Arist. Polit. 1 1.

∵ Plat.

* Arist Ethic. 1. 7.

Aristot. polit. 1. 9.

CAP. 9.

Plat. Symp. *Apollodorus cum Socrate versari velit & observare,* ὅ,τι ἂν λέγῃ ἢ πράττῃ *quicquid dixerit vel fecerit imitaturus & sectaturus*; facile is in morum & judicij errorem incideret. Nam

Ibid. etsi quisquam, ut Socrates, *omnes semper homines confutet, & plura possit objicere, quam quisquam statim sit soluturus*; in vasta tamen opinionum varietate, qualis nunc extat, continget aliquando, ut scotomate aliquo laboret, & pro mero quandóque aqueum & crudum liquorem propinet. *In hac humanitatis & mortalitatis valle nihil perfectum est*; καὶ οἱ

Alex. Rhet. ad Alex. c. 15. ἔμπειροι πολλάκις ἁμαρτάνουσι, *etiam eruditi aliquando aberrant.* Sumus nos in itinere & via, eáque non prorsus pulvere & luto vacua; nobis igitur opus erit, ut *cum sacerdotibus sanctuarium ingressuris lavemus, ne illotis pedibus terram sanctam calcemus.* Aposto-

Act. 1. li successores Christi de regno (quale fuit olim Israelis) *idque statim (ut quidam putant) post Christi resurrectionem restituendo erraruni*;

Act. 10. *& Petrus, quæ prius nescijt, nunc tandem, inquit, novi Deum non esse prosopolepten, sed quosvis etiam è Gentibus intra Ecclesiæ septa*

Mat. 23. 8. *recipere. Vetuit autem Christus, ne quenquam patrem,* καθηγητὴν *Doctorem, aut Rabbi vocemus.* Is solus se ad tribunal adversariorum potuit se sistere & quærere; *Quis vestrum*

Joh. 8. 46 ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; *me erroris aut peccati potest accusare?* operæque nostræ pretium erit observare & attendere, quæcunque is

Act. 1. ἤρξατο ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν *fecit & docuit.* Quare etsi debitum honorem *patribus,* καθηγηταῖς

docto-

doctoribus Ecclesiæ Augustino, Hieronymo, & cæteris, Luthero, Calvino & alijs tribuamus; hos tamen in Christi throno ne ponamus, nec in sectas & schismata eorum autoritati & opinionibus innixi scindamur. Quod si verò quisquam magni nominis & eruditionis non pœnitendæ, quoniam populum sequacem habet, eos in devia ducat, & in Ecclesia Dei schismata faciat; sciat is se gravius peccare, & severiori indignationi Dei esse obnoxium, quàm turba misella sub ejus vexillo militans. Ut enim oportet belli duces oculatiores esse quàm quivis miles gregarius: nam siquid peccatur, siqua calamitas suis inciderit tristior, Imperator, cui omnes sese submittunt ducendos, in crimen vocatur; sic oportet speculatores & pastores populi attentius cæteris, quas opiniones & sententias populus amplectatur, observare. *Nam Deus speculatores rerum malè administratarum reos peragit, & sanguinem populi ruentis de manu pastoris reposcit.* Ezek. 33. & 34. *Hanc ob causam Christus Pharisæos & scribas & legis interpretes, qui sese duces cæcorum venditabant, graviùs criminatur, & sæpius & severiùs quàm populum minis territat.* Sæpe in Evangelijs. Nec tamen populus omni prorsus culpa eximendus. *Qui Christi sunt oves, ejus vocem norunt & summo studio imbibunt, extraneos vero duces cæca quadam obedientia non sequentur; ut Judæi Barcochabum, & Theudam, aut antiquiores illi Koram, Nimrodum, Cainum ad suam & ductorum suorum ruinam.* Joh. 10. Josephus. Num. 16. Gen. 4. Quare populo cavendum est, ne verè de ijs quis-

Cap. 9. quisquam, quod Aaron de Israelitis dixit, *Tu*
Exo. 32.22 *nosti populum hunc in malo jacere, rebellem esse & divinis legibus obluctantem*: cavendum, inquã, est populo; ne verum sit, quod quidam observavit (suratus forsan illud ex Esaiâ) *promp-*
Es. 1. *tiùs * armenta & greges pastori, quàm populus veris suis ductoribus parere*: ac si plus in illis corruptæ naturæ indoles, quàm in his rationis & religionis lumen valeret. Ut constet verò quanta hominum sit proclivitas & facilitas ad errores declinandi; En Melchisedekum in angulo terræ Chanaaniticæ paucorum stipatum studijs, cum Nimrod totas secum duxerit familias! en vitulorũ aras duas sæpius onustas 10. Tribuum sacrificijs, quàm altare Dei in Templo suo Judaicis! en Pharisæos religionis & sanctimoniæ speciem obtendentes, & falsò venditantes multò pluribus cinctos auditoribus, quàm Christus sanctus ille Dei! Certissimum verò est, moderatiùs multò & consideratiùs Pharisæorum furorem processisse, & minùs obfirmatè Christum opposuisse, si populi studium & admiratio, hos sua sponte satis œstro malitiæ incitatos, ad pertinacem & obnixam à Christo alienationem non adegisset. *Quomodo enim, inquit*

* Xen. Cyro-pæd. 1.

Joh. 5.44. *Christus, potestis credere, cum gloriam alij ab alijs capitetis, & gloriam illam quæ à solo Deo*
1 Tim. 4.3. *proficiscitur, non quæratis?* Absit igitur ut nos sanam doctrinam rejicientes, *auribus pruriamus & ipsi nobis secundum nostras cupiditates doctores coacervemus*; & non Apollines, Kephas, Paulos, sed sectarios obscuros, & indig-

dignissimos nostra admiratione nescio quâ, in partium studium & factiones trahamus.

Tertio cum ita facilis sit in errorem lapsus & omnia nostra cupiamus alios sagaciùs perpendere, cautiùs examinare, & candidiùs interpretari; *caveamus ne simus nos in alios* Luc.6.38. *rigidi nimis censores & superciliosi, sed quâ mensurâ volumus alios nobis metiri eâdem illis remetiamur.* Accedamus ad illorum scripta & dicta ponderanda & libranda æquo, leni & quieto animo. Nam ut turbo procellosus omnia limo & arena commiscet, flumen facit lutulentiùs fluere, & aquas minùs salubres emittere: sic passionum procella concitatior mentem tollit de cardine, & animum reddit ad dextrè concipiendum, & rectè judicandum prorsùs ineptum. Tempestuosa ejusmodi mentis agitatio & motus in animi oculo trabs erit, quæ visum ita est obtenebratura, ut festucam ex alterius oculo non possit eximere. Verendum igitur est, cum passionum ebullitio & impetuosus ardor, effervescit, *ne (quod Pericles timuit, cum magistratus Athenienses concionem accedebant commoto & inquieto animo) aliquid agatur* *Thucyd. lib. 2. * ὀργῇ μᾶλλον, ἢ γνώμῃ *irâ potius quam sedatâ sententiâ.* Nam violenta iræ, tanquam torrentis, rabies scapham rationis rapiet præcipitem, *non quò vult rector sed quò rapit impetus undæ.* Fieri verò non potest, quin malè judicetur, cum animus ea pars nostri malè se habet, quâ lapsus & delicta aliorum videri volu-

Cedit in vanum labor & victa pronâ puppis aufertur vado. Sen. in Hippol.

volumus ad examen vocare. Quare multoties
1 Tim. 6. 11 Spiritus sanctus *ad lenitatem & animi mansuetudinem omnes hortatur, & sæpius ad fraternam tolerantiam & moderationem vocat;*
Gal. 5. 22. *nobisque tanquam fructus Spiritus commendat charitatem, pacem, iræ cohibitionem, gaudium, benignitatem, bonitatem, fidem, lenitatem, & continentiam.* Æquum enim est, cum nos omnes iisdem septi simus infirmitatum & corruptionis gravaminibus; *ut alij aliorum onera*
Gal. 6. 2. *portemus, & oneribus proprijs discamus alijs eodem jugo pressis succurrere.* Nec hoc solùm,
2 Tim. 2. 24 *sed servum Dei oportet non esse contentiosum, sed mansuetum erga omnes, tolerantem etiam malos, erudientem cum lenitate eos, qui contrario sunt animo affecti; ut experiatur, num aliquando daturus sit ijs Deus resipiscentiam ad agnitionem veritatis, et num sanitate mentis receptâ, evasuri sint ex Diaboli laqueo, licèt prius ab eo captivi facti fuerint ad ejus libitum.* Multò igitur magis induenda sunt viscera miserationum, benignitas, animi submissio, lenitas, longanimitas; ut Ecclesiæ filij alij alios tolerent, & sibi mutuò casus & lapsus suos condonent. Non oportet enim
* Thucydid. lib. 3. * ἀνέλπιστον καταστῆσαι τοῖς ἀποστᾶσι καὶ ἁμαρτήμασιν, ὡς οὐκ ἐστὶ καταγνῶναι *lapsis & delinquentibus omnem veniæ locum præcidere, ac si non liceret*
Arist. Ethic 4. *ijs ignoscere.* Siquidem * φορτικὸν ἐστὶ εἰς τοὺς ἀσθενεῖς ἰσχυρίζεσθαι *grave est cum infirmis luctari & lapsos insolentiùs sub pedibus calcare.* Imitanda est nobis Mosis moderatio & facilitas, qui injustis & indignis Aaronis & Miriam calum-

calumnijs minimè fuit contra eos exacerbatus, aut ad iram provocatus. Sequamur Apostolorum mansuetudinem, qui Thomam de Christi resurrectione incredulum, & socijs suis testibus oculatis fidem non habentem, neutiquam vehementiùs reprehenderunt, & iratis animis increparunt. Certè oporret orthodoxos, cum alios errantes & pravis imbutos opinionibus sentiunt, hos non secus, quàm quenquam in peccatum prolabentem, spiritu lenitatis restituere, considerantes seipsos, ne & ipsi eodem aut graviore modo tententur. Cæterum ante omnia *ad Christi lenitatem et bonitatem oculos attollamus, qui summa patientia et longanimitate Gentes in erroribus et peccatis plurimis palabundas toleravit, et diuturnitatem errorum Ethnicorum* ὑπεριδὼν *præteriens et connivendo dissimulans,* τὰ νῦν *illo ipso tempore, quo præcipiti cursu in omnem ferebantur impietatem, eos ad pœnitentiam vocavit.* Nec tanti gregis solùm misertus est Christus; sed *ovem unicam à socijs abreptam relictis 99. in loco quieto, quæsivit, & inventam latus humeris ad ovile bajulavit.* Utcunque igitur lapsi sunt inter nos nonnulli & in erroribus deviarunt; studeamus nos leni eos animo, tolerare, & ijs, *quod jumento sub sarcina depresso jubemur, succurrere, & quacunque possumus ratione opitulari.*

Mat.27.27

Act. 17.

Ma.18.12

Deut.22.4.

Hæc verò cum ita sint, quam parum decet Christianum animo incenso & irarum pleno quenquam invadere, & verbis dentatis proscindere, quod his temporibus multum

CAP. 9.

tum invaluisse cum justo Ecclesiæ dolore sentimus omnes. Aliud nobis consilium suggerit B. Petrus; ne *reddatis*, *inquiens*, *malum pro malo*, *convitium pro convitio*; *sed contra benedicite*, *ut qui sciatis*, *ad hoc vos vocatos ut benedictionis sitis hæredes*. *Qui vitam diligit & bonos dies cupit videre*, *linguam suam cohibeat à malo*, *& labia ne loquantur dolum. Declinet à malo*, *& faciat bonum*: *Pacem quærat & persequatur eam*. Nesciunt igitur qua ratione, quo prætextu sese defendant aut excusent, qui in nimiam verborum prorumpunt intemperiem. Concedimus, quod Christus, qui ut *ovis ductus est ad mactationem*, *& ut agnus coram tonsore mutus fuit*, *Petrum tamen grande illud opus ad hominum salutem spectans*, *consilio suo impediturum*, *vocavit*, *Satanam*: meritò id quidem, qui servus Domino, parùm gnarus omnia scienti ausus sit consulere; & & quia ut Satan primo Adamo lapsum suasit, sic secundo Adamo Petrus, ne lapsis subveniret, voluit persuadere. At præterea observare licet, quod D. *Paulus etiam Elymam Magum prohibentem*, *ne Evangelij doctrina in insula Papho propagaretur*, *graviter acritérque sic increpuit*; *O plene*, *inquiens*, *omni dolo & versutia*, *fili Diaboli*, *hostis omnis justitiæ*, *non cessabis pervertere rectas Domini vias*? At quid inde? Quod Christo omnium nostrum Domino, & Paulo, quem Spiritus Sanctus inspiravit, licuit, primò in re longè gravissima; secundò paucis verbis facere; nobis certè

Margin notes: 1 Pet. 3.9. — Mat. 8.33. — Acts 13.8.

certè non licet in controversijs levioribus, aut in graviore aliqua de uno aut altero religionis capite, idque longo verborum flumine. Nescio verò, an in quibusdam gravioribus liceat; *cum Christus noluerit discipulos ignem de cœlo, Eliæ exemplo ad Samaritanos devorandos vocare*. Forsan & nos nescimus, aut non satis præ iracundia cernimus, quo simus spiritu. Mixtura aliqua superbiæ, invidiæ, ignorantiæ, odij, & reliquorum affectuum sese nostris forsan animis ingessit, & zelum nostrum ita fermentavit; ut si alij, quibuscum nobis res est, graviori digni sint increpatione, & objurgatione, nos tamen parum digni sumus, & idonei, qui heic operam impendamus nostram. Si Ethnici, qui mulierum ritu lingua bellare * *Νεῖνον μέγιστον dedecus maximum putarunt*, & † *Βοῆς μεγέθει ἀφορήτους propter vociferationis intentionem non ferendos*, *barbaros esse censuerunt*, & *Plato, qui Sophistas paralogismorum suorum futilitate exutos sese εἰς τειχωμίαν λόγων ad verba sesquipedalia convertere observavit*, reviviscerent, & Christianorum jurgia & calumnias audirent; quid dicerent? Dicerent sane, *absurdum * esse quenquam Ulyssis personam assumentem Thersitæ partes agere*. Nos autem non censebimus Christianis indecorum esse, ad Timothei munus vocatos rabulæ alicujus Shemei personam induere, & lapides aut gladios loqui. Absit ut *philosophi, multò minùs Christiani sint* † *πρὸς ὀργὰς ἐξίξεσαι ad iram proni, & instar navium sine clavo, anchora, & nauticis retinaculis*,

* Herodot. Call.
† Thuc. 4. l.
Plato. Euthyd.
* Diod. Sicul. Eclog. ex lib. 22.
† Plat. in Theat.

tinaculis, quo furoris tempestas & impetus rapit, feruntur præcipites; & in convitia probrosa, calumnias stomachosas, jurgia † canina, *mendaces* accusationes serpentinas prolabantur. *Oratores certè & disputatores ejusmodi, qui ad virulentos clamores, &, furiosas debacchationes sese vertunt, apertè demonstrant se causâ multò inferiores esse; &, cum nulla ratione possint veritatem expugnare*, * μορμολύττειν velle sævis dictis & jurgiorum terriculis ejus defensores protelare. Hi Christi Domini nostri sunt dissimiles, qui non contendit, nec vociferabatur, & cujus Spiritum non delectant *contentio, invidia, ira, rixæ, obtrectationes, susurri, rumores, tumultuationes. Quæ omnia sunt noxii carnis fructus, & è pessimo cordis thesauro profluunt. Cujuscunque verò in his exercetur, & in his se venditat sapientia*, ea (non me, sed Sancto Jacobo Apostolo censore) *non cælitùs immissa est, sed* (quia pacem in terris, gaudia in cælis interturbat) *terrena, sensualis, dæmoniaca est.*

† Haud decet similes esse canibus è vinculis τοῖς ἐκ δεσμῶν κυνιδίοις. Arist. Rhet. 3. 4.

* Plat. in Gorg.

Mat. 12. 19.

2 Cor. 12. 20.

Gal. 5. 20.

Mat. 12. 19.

Jac. 3. 14.

4°. Quoniam non modò facilè in errorem labitur humana imperitia; sed etiam vita brevis est; & ut Jacobus, *Pauci & mali sunt dies annorum vitæ nostræ*, ars autem sacra & Theologiæ cognitio nimia hominum & non amanda diligentia in immensum excrevit; Seriò nobiscum deliberemus, & cum prudente patre familias ædificaturo, & Rege ad bellum profecturo consideremus tum rei gerendæ difficultatem, tum nostram ad opus illud, quod suscipimus, perficiendum facul-

Gen. 47. 9.

cultatem: ut verè sciamus, *quid valeant humeri nostri, quid ferre recusent.* Atque heic sagaciùs cuilibet hæc trutinanti constabit, quod sicut *in corporis cura longè maximus est labor & sudor & contentio* διὰ τὰς ὑπερβολὰς ἢ διὰ τὰ ἀναγκαῖα *propter res superfluas, non ob res necessarias* (nam necessarius & salubris & victus & vestitus *qui animo verè Christiano satis esse possunt*, obvius est, cum deliciæ & ornamenta superflua magno constant labore & impendio, forsan & periculo :) *Sic est primo in loco necessaria et salutaris quadam cognitio, qua nunquam antea fuit, aut jam est petenda è longinquo aut occulto; qua nec olim fuit, nec jam est in cœlis, ut diceremus; Quis ascendit in cœlum? Nec ultra mare est, ut diceremus; Quis mare transibit, ut inde hanc afferens nobis eam annuntiaret? Sed valdè propinquum est verbum hoc, quo decemur; in ore nostro, et in animo nostro est ad faciendum illud.* Deus scilicet, qui res corpori necessarias servis suis subministrat, promittitque; *Nequaquam, inquiens, ego te deseram, nunquam te derelinquam*; is copiosè satis, quæ ad animum spectant suppeditabit. Est & secundò alia cognitio rerum sacrarum abstrusior, & curiosior, non sine multo studio & artium variarum adminiculo comparanda; ideóque magna ex parte facta est aut in se, aut nostra imperitia & temeritate

Aristot. polit. lib 2.
Gen. 28. 20
1 Tim. 6. 8.
Deut. 30. 11.
Rom. 10. 6.
Ios. 1. 9.
Heb. 13. 5.

CAP. 9. *multis dubitationum fluctibus agitata.* De utraque hac, in sequenti capite est agendum, & ostendendum, quomodo aut nostræ cum Deo reconciliationi & Ecclesiæ paci inserviant, aut nostrâ culpâ his maximo sint impedimento.

CAP.



Cap. X.

Argumentum.

Heic fusius agitur de necessaria doctrina in scripturis à Spiritu Sancto semper, ut hominum captus, et temporum ratio postulabat proposità. Hanc primò Deus in lege Ecclesiæ tradidit, cui nemo quicquam debuit addere, aut detrahere, nemo ab ea dextrorsum, aut sinistrorsum recedere. Secundum hanc legem Ecclesia tum formabatur, tum reformabatur. Christus vero adveniens, jugo cæremoniarum sublato, et facta Gentibus potestate sese in Ecclesiam Dei recipiendi; Baptismate omnes ad obedientiam sibi et ejus verbo præstandam obligat, pluribus verbum suum nobis commendat, vetat ad aliud Evangelium aut ἑτεροδιδασκαλίαν diversam doctrinam abripi, vetat supra id quod scriptum est, sapere, vetat stultas, ineruditas, litigiosas quæstiones movere. Unde liquet cautiùs Artium, linguarum, antiquitatis (quæ dona Dei sunt) scientia utendum esse. Ne doctrinam non necessariam; et multis litibus obnoxiam è scripturis eruamus, et Ecclesiam aut hæresibus & sectis, aut dubijs altercationibus et controversijs à necessaria et indubitata scripturarum doctrina promovenda revocemus, et distrahamus.

CAP. 10

HEic jam primo venit perpendenda
Pro.19. 2. cognitio illa sacra & necessaria ; *sine*
quâ anima non est bona, sine quâ perit
Hos. 6. 6. *populus. Hæc cognitio arbor vitæ est, et quem-*
libet eam apprehensurum efficit beatum et vitæ
Pro.3. 18. *(nunquam interituræ , quam Christus vita*
Pro.8 35. *ipsa dat) participem.* Ita ut hominem in pri-
stinam aut meliorem conditionem restituat,
Joh 10.25. quam illa, à qua arborem vetitam gustando,
Job. 6 45. Adamus cecidit. *Hujus vero cognitionis Chri-*
Mat.33.10 *stus autor est. Nam is Ecclesiæ suæ caput est,*
& 34. *et Doctor ; is patris sapientia est, et antequam*
Pro.8. 22. Joh. 1.3. *mundus fabricatus fuit , et in ejus structura,*
Deo adfuit. Siquidem per eum facta sunt o-
mnia, et sine eo factum est nihil, quod factum
Pro. 8.31 *fuit.* Deinde postquam orbis extitit, *sapien-*
tia hæc mundum lætificavit, et filios hominum
gaudio perfudit. At qua ratione illud fecit ?
Pro. 1. 20. Certè *divina hæc sapientia foris et in plateis, in*
21. *concionibus hominum , in civitatum portis , in*
locis editioribus. in loco multarum semitarum
Pro.8.1,2. (ita ut omnes commoditatum ansas ar-
ripuerit) *proclamavit, et vocem suam eleva-*
vit ; viros præstantes, et plebeios filios homi-
*In Pentateucho sæpius. sic, *num allocuta est.* Nam in primo mundi ini-
tio *Deus sæpe patribus * apparuit : et per vi-*
siones et insomnia necessariam omnem illis da-
Job. 4. 12 *ctrinam revelavit, fœdus cum iis inijt, lineam*
Job 23.12. *lineæ, et præceptum præcepto*, sicut ei visum
Job 33.14. est, & populi ejus captus videbatur postu-
In prophetis sæpissime. lare, addidit. Ut autem persisterent in sapi-
entia hac & fœdere, à quo benedictio Dei om-
nigenis

nigenis cumulata hujus & futuræ vitæ bonis (ut contra maledictio omnes omnino invehit miserias) pendet, *Deus ab ijs* (quod Domini à servis jure possunt) *postulavit, ut cum eo ambularent, et omnia ejus mandata observarent: tandem verò voluit Abrahamum et omnes masculos domus ejus et eorum posteros octavo à nativitate die, ut et omnes proselytos et servos pecunia emptos, circumcidi. Quicunque verò fuit circumcisus totam legem tenebatur observare. Qua circumcisione innuebat Deus se circumcisurum cor populi sui et cor seminis eorum, ut diligerent Jehovam Deum suum toto corde et tota anima, ut viverent.* Postquam verò Moses legem exarasset, & populo Israelitico promulgasset, ad legis observationem multoties omnes vocavit, eámque crebrò Dei jussu inculcavit; *si meis, inquiens, praceptis auscultetis, & fœdus mecum initum servabitis, eritis mihi peculium præ omnibus populis. Et Judicia Dei & statuta observabitis & facietis; nam hæc sapientia & prudentia vestra est ante oculos populorum, qui audientes omnia statuta ista, dicent; Tantum gens ista maxima populus sapiens est & prudens.* Hæc in Mose sæpius occurrunt, quàm ut opus sit heic plura coacervare.

Gen. 47. Gen. 5. 24. Gen 7. 1. Gen. 18. 19. Job. 23. 11. 12. Gen. 17. Deut 30. 6. Exod. 19. 5. Deut 4. 6.

Ut verò constet hanc doctrinam ut necessariam, ita & sufficientem esse, Moses à Deo docet; *Eandem fore legem Israelitæ & proselyto.* Atque hinc est, quod Josua, sacerdotes & prophetæ debebant legem attendere, quod ad legem populum Dei vocabant, ejúsq;

Exod. 12. 49. Num. 15. 13.

Cap.10 observantiam urgebant. Hanc autem ob
causam *jussit Deus, ut anno intermissionis in*
Deut.31.10. *festo Tabernaculorum, coram omni Israeli-*
Jos.8 35. *tarum populo lex Mosis perlegeretur. Et Josua Ecclesiæ praxin demonstravit, cum omnia pronuntiavit verba legis, quæ scripta erant in libro Mosis; & nullum fuit verbum ex omnibus, quæ præceperat Moses, quod non pronuntiavit Josua coram tota congregatione Israelis, fæminis & parvulis & peregrinis præsentibus.* Ut autem scirent Israelitæ, qualem Le-
Deut.5.32 gis observantiam Deus postulet; *per Mosen, ne recedatis, inquit à legis præscripto dextrorsum aut sinistrorsum. Et, Quicquid*
Deut. 12. ult. *ego præcipio vobis, illud cautè observate; ne huic addatis aut detrahatis. Et, Totus sermo*
Pro.30. 6. *Dei est purgatissimus, scutum est ijs (quod*
Psal.17. 3. *suis etiam est ipse Deus) qui ad eum sese recipiunt. Ne adijcias quicquam ei, ne te redarguat, & mendax reperiaris.* Deus scilicet necessariam Ecclesiæ suæ institutionem, & doctrinam omnem in lege & prophetis suis suo tempore excitatis fecit exarari, & nihil, quod ad populi sui æternam felicitatem conferret, omisit. Atque ideo non solùm Ecclesia Israelitica in initio secundum legem à Mose datam erat formanda & instituenda; sed & eorum posteris, si quando usus erat, ad hanc Legem & ejus in prophetis expositionem semper fuit recurrendum. Nam cum populus hic aut illius reges rebelles & impij extiterunt, arguuntur, *quod Legem Dei non observarunt, & fœdus fregerunt.* Quod apparet in

in defectione populi hujus *post mortem Josua & seniorum, qui miraculosa Dei benefacta norant; & antequàm arca capta fuit, & Israelitæ victi à Philistæis; & cum Solomon amore alienigenarum mulierum animum ad Deos alienos etiam inflexit*, ad cujus exemplum populus Israeliticus citò & facilè sese composuit; &, *cum Jeroboam decem Tribus ad vitulos adorandos seduxit; Et, cum propter defectionem Iudæorum Deus permisit Shisako regi Ægyptiorum ut Templum & regios thesauros compilaret; Et, cum Ahab peccatis gravissimis Israelem perturbavit; &, cum rex Assyriæ Israelem duxit captivum; Et, cum Iudæi Israelis exemplo lapsi sunt, & sese exposuerunt Babylonijs subjugandos.* Siquando autem Deus pios Reges & Præfectos excitavit, & sacerdotes & prophetas his adjutores adjunxit; hi in reformanda, sicut alij antè in formanda Ecclesia ad Legem Dei & ejus præscriptum omnia exigebant. *Nam David & Samuel post tempora Saulis & Eli in impietatem projectiora, secundum Legem omnia correxerunt. David verò ita Legis studio fuit affectus, ut ejus encomia nunquam non in ore habeat;* ac si totus præceptorum divinorum Zelo fuisset inflammatus. *Sic cum Asa* [a], *Iehosaphat* [b], *Iehojadah* [c], *Zachariah* [d], *Ezekiah* [e], *Iosiah* [f], *Nehemiah* [g], religionem collapsam & mores corruptos studuerunt ad melius revocare, fœdus inter Deum & populum redintegrarunt; & ad Leges & mandatorum propheticorum observationem omnia composuerunt. Cum

Jud. 2. 10. & 20.
1 Sam 7. 2.
1 Reg. 11. 11. & 33.
1 Reg. 14. 8.
1 Reg. 14. 21.
1 Reg. 18. 18.
2 Reg. 17. 13.
2 Reg. 17. 19.
Jer. 3. 10.
Psal. 101. 1. 2.
1 Sam. 7. 3.
a 2 Chr. 14.
b 2 Chr. 19 3.
c 2 Reg. 11.
d 2 Chr. 24 20.
e 2 Chr. 29
f 2 Chr. 34
g Neh. 8.

vero omnes necessarias prophetarum exposi-
tiones & enarrationes addidisset. Deus, ut
nihil jam ad eorum institutionem deesse con-
Mal.4.4. staret, dicit: *Recordamini Legis Mosis servi
mei, cui præcepi in Horebo statuta et jura ad
totum Israëlem perferenda.*

Post Christi vero incarnationem viam in-
iit Deus persimilem priori; at multo nobi-
liorem, & quâ nihil potuit ad Ecclesiæ tran-
quillitatem esse conducibilius, & Dei erga
suos bonitatem & amorem liquidius testari.
*Non enim jam propheta, aut rex, aut sacer-
dos à Deo missus est Mosi, Davidi, Aaroni
a Deut 18. 15 æqualis; sed Iesus Christus, Mosi* [a] *quidem
similis, sed longè superior, & ejus Deus;
b Psal.110.1 Davidis* [b] *quidem filius, ita tamen ut ejus sit
c Heb.7.24. Dominus; Antitypus Aaronis* [c], *sed (quod
Mors non permisit Aaroni & ejus soboli)
in æternum permanens. Est enim hic Dei fi-
d Gal.4.4. lius* [d], *licet ex muliere factus. Huic verò do-
e Psal.2.8. natæ sunt Gentes* [e] *in possessionem & fines terræ
f Act.2.36. jure hæreditario: factus est itaque Dominus* [f]
g Joh.5.46 omnium. Nec ei solum Moses [g] *& prophetæ* [h]
h Act.10.43. omnes, sed & Johannes [i] *Baptista, opera* [k] *ejus
i Joh.5.33. miraculosa, Spiritus* [l] *sanctus, Deus* [m] *ipse de
l Mat 5 36. cœlo testimonium præbuerunt. Dei verò testi-
monium hoc est. Hic filius est meus dilectus,
l Act.5.32. ipsum audite. Christus verò is est, quem jure
m ...3.17. Rabbi* [n], *patrem,* καθηγητὴν *Doctorem voce-
n Mat.23. mus. Hic lumen prætulit Gentibus & gloria
fuit populi Israelitici.* Hac autem potestate fre-
tus, omnes voluit sacra doctrina imbui, &
baptismate in suam familiam adoptari. *Qui
autem*

autem jam baptizatur (in qua Christi institutione non est, ut in circumcisione antea, grave jugum & opus cruentum) *totam sacram doctrinam tenetur observare.* Nam post institutionem Baptismatis baptizati jubendi sunt observare *omnia, quæ Christus mandavit.* Jam verò ritus illi & cæremoniæ populum Judaicum à Gentibus discernentes onerosum jugum tollitur, & cœna Dominica paschate & sacrificijs multò tolerabilior introducitur. *Ita ut à nemine jure possit Christus durus vocari Dominus, aut jugum ejus durum.* Nam cum ejus nomine & jussu prædicanda sit resipiscentia & remissio peccatorum Gentibus omnibus incipiendo ab Hierosolymis; hujus Evangelicæ doctrinæ, ut olim in Ecclesia ante Christum, duo sunt præcipua capita: prior de fide in Christo seu Messia, per quem habemus justificationem & vitam æternam; posterior de vitæ sanctitate & ambulando cum Deo in via, quæ ducit ad beatitudinem. Mat. 28. 20.

Atque in horum capitum expositione & demonstratione omnes Evangelistarum & Apostolorum libri, conciones, labores, ut Ecclesiæ captui & ædificationi maximè inservire novit Deus, versantur. Totum verò Novum Testamentum veteri à Deo superadditur, *ut vir Dei sit perfectus, et nihil ei desit; quo minus doceat, redarguat, corrigat, et instituat ad justè agendum, et ex utroque horum vetera et nova* in quavis doctrina necessaria, ut occasio postulat, depromat. Nam in hunc usum studio piorum patrum & hominum religiosorum 2 Tim. 3. 16. 17 Mat. 13. 52.

CAP. 10 ligiosorum hos sacros codices (Satana fremente, & ejus Angelis orbi ignorantiæ tenebras & bellorum tumultus inducentibus) divina conservavit providentia, & nobis tradidit. In his verò nihil continetur, quod non sit suo loco & usu aliquo peculiari Ecclesiæ utile, quod non vel ad fidem vel praxin nostram, ad animi informationem, aut morum reformationem Deus vidit plurimùm conferre. Si verò in his quicquam sit, quod non tam nos, quàm priora tempora videatur spectare; Sciendum est necessarium esse nobis prima Ecclesiæ rudimenta tenere, & hæc canonem esse, ad quem antiquitates Ethnicas oportet examinare. Si verò quicquam sæpius inculcetur, etiam & hoc necessarium est; nam nos adeò obtusa gestamus pectora, *ut cum Deus semel & iterum loquatur, non audiamus.* Job.33.14. *ut illis*; *Opus igitur est ut linea sit super lineam, præceptum super præceptum*; Es.24.10. *ut Doctrina cœlestis & Christus nobis reveletur, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis reconditi.* Col.2.3. Habet enim cognitio mysterij Dei Patris & Christi sibi connexum πάντα πλοῦτον τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως Col.2.2. *omnem abundantiam summæ perfectionis intelligentiæ.* Quod si igitur libris & doctrinæ Mosis ab homine (excipiendus est enim Deus qui novit nobis omnem salutarem dare cognitionem) *nihil fuit addendum, nihil demendum*; Gal.3.15. *Testamento Christi nihil addendum.* multò magis doctrina jam à Deo & sapientissimè & aptissimè ad hæc tempora accommodata *nihil postulat addi, nihil permittit demi.* Ut igitur olim ad legem Dei

&

& doctrinam Propheticam omnia exigebantur; *sic nunc lex Dei & Prophetarum scita sunt attendenda.* Non solum ut dulcem concentum & harmoniam concordem inter doctrinam veteris & novi Testamenti intelligamus, & Deum & Spiritum eundem dictasse utrumque agnoscamus (*Unde crebrò Apostoli sese eadem docere, quæ Moses & prophetæ*, asserunt:) sed etiam ut fidei confirmationem, & vitæ normam inde petamus. Quam ob causam sæpe verba disertissima è veteri Testamento in novo citantur, & non nunquam exponuntur. Heic verò 2° in loco Sermo Domini nostri Jesu Christi, cujus mentio in Novo Testamento fit uberrima, est auscultandus. Nam præcipitur, *ut ejus sermo* [a] *audiatur*, [b] *servetur*, [c] *accipiatur, ut verbum Domini non hominis, à quolibet cui auris* [d] *est, attendatur. Hic sermo Domini est semen* [e] *illud bonum, quà totum genus humanum extenditur, disseminatum: est illud quo Deus nos* [f] *progenuit, est* λόγος σωτηρίας [g] *sermo salutis, & Evangelium salutis* [h]. *Hic sermo purgat* [i] *corruptos; vivificat* [k] *mortuos; facit ut mortem* [l] *non videamus, ut discipuli* [m] *simus Christi, ut pater* [n] *nos diligat, ut Christus nobiscum cœnet.* Licet autem sermo hic ab iniquis ejus æstimatoribus *habita sit stultitia* [p]: *est tamen iis, qui servantur, potentia & sapientia Dei, beatos eos efficit, & vitæ æternæ participes. Enitendum ergo est ut in hoc verbo* [q] *maneamus; ut in nobis copiose* [r] *illud habitet; ut per orbem* [ſ] *discurrat, & glorificetur.*

2 Pet. 3. 2.
Mat. 7. 12.
Mat. 22. 40
Luc. 1. 70.
2 Pet. 3. 2.
Rom. 3. 21.

a Joh. 3 24
b Lu. 11. 28
c 1 Thes. 1. 13.
d Rev. 2.
e Mat. 13.
f Jac 1. 18.
g Act. 13. 26.
h Eph. 1. 13
i Joh. 15. 3.
k Joh 5 25
l Joh 8. 52.
m Joh. 8. 31
n Joh. 14. 23.
o Apoc. 3. 20
p 1 Cor. 1. 18.
q Joh. 8. 31
r Col. 3. 16
ſ 2 Thes. 3. 1.

Siquis

CAP. 10

Siquis verò hoc verbum [t] *ignorat, erubescit* [u]*,*
t Act. 13. 27 *rejicit* [x]*; Siquis verbum hoc non* [y] *recipit, non*
u Luc. 9. 26 *in eo* [z] *manet, non permittit* [a] *locum in se ha-*
x Joh. 12. 48 *bere; siquis ad sermonem Dei* [b] *impingit; sa-*
y 2 Thess. 3. 14. *nam doctrinam* [c] *æquo animo non audit, non*
z Ioh 5. 38 *ei* [d] *obtemperat, aut ea* [e] *scandalizatur; mi-*
a Ioh. 8. 37 *serrima & tristissima est ejus conditio. Nam*
b 1 Pet 2. 8 *si sermo* [f] *Angelorum ministerio, populo delatus*
c 1 Tim. 6. 3 *Israelitico firmus fuit, & omnis transgressio*
d Mat. 13. 22. *& contumacia justam mercedis retributionem*
e Mat. 13. 21. *tulit: quomodo nos effugiemus, si tantam neglex-*
erimus salutem, quæ primum enarrari cœpit
f Heb. 2. 2. *per Dominum ipsum, deinde ab ijs qui ipsum*
audierant, fuit posteris confirmata signis &
prodigijs. Nec sanè est aliquod veteris instru-
menti encomium aut privilegium, quod No-
vo pariter non competat. *Non est igitur jam*
à sermone Domini dextrorsum aut sinistror-
2 Tim. 1. 13 *sum declinandum. Etiam nunc expressa forma*
sanorum sermonum tenenda est. Minatur verò
Apoc. 22. 8 *Deus ijs, qui ad verba prophetica Apocalypseos*
quicquam sunt addituri, se plagas in illo libro
scriptas ei impositurum; & ijs, qui quicquam
è verbis illis propheticis sunt ablaturi, se par-
tem eorum è libro vitæ & ex illa urbe sancta
& ex iis, quæ scripta sunt in libro illo esse subla-
turum. Nec hoc solùm, sed etiam cavendum
est, *ne aliud Evangelium admittamus, & ne*
Gal. 1. 6 7. *εἰς ἑτεροδιδασκαλίαν diversam aliquam doctrinam*
1 Tim. 6. 3 *feramur, ne sanos sermones Domini nostri re-*
1 Tim. 1. 3 *linquamus, aut scripturas, quod quidam ad su-*
2 Pet. 1. 21. *um exitium faciunt, torqueamus.* Sunt enim
omnes sacri libri ab uno eodémque Spiritu

&

& omnis sapientiæ fonte dictati, & ad Ecclesiæ usum adornati : ut nobis cavendum sit, ne non necessarijs additamentis & glossis Ecclesiam oneremus & gravemus, aut parte ejus aliqua suo loco & usu aliquo peculiari maximè necessaria privemus fraudemúsque. Peccavit olim *Adamus, quòd Deo Doctore suo non contentus*, serpente usus sit monitore. Peccarunt *Koreh, Dathan & Abiramus, qui quoniam Deus populum Israeliticum sibi elegit peculium, gentem sanctam, & regnum sacerdotale, contra Mosen, Aaronem & sacerdotes surrexerunt, ut præfecturam sacerdotij à Deo his concessam, eriperent, & parem Levitis cum sacerdotibus honorem & locum assererent. Errarunt Passur & Hanania & falsi prophetæ, qui Dei promissionem de sancta urbe tuenda & regno Davidico in sæcula continuando adduxerunt, ut fidem facerent populo, de captivitate citò solvenda, quam Deus in 70. annos duraturam per Ieremiam edixerat : Nec regnum filijs Davidis unquam se conservaturum promisit, nisi perstarent in observando statuta et judicia à Jehova Israeli præcepta. Errarunt Sadducei nimium attribuendo Antigono * doctori suo, & sinistrè ejus dicta interpretando, et promissiones sacras hujus vitæ felicitatem verbo tenus spectantes, ad hanc vitam restringendo, et animas † cum corpore interituras credendo.* Nec adverterunt benedictionem Dei suis promissam instar Deitatis fontis illius, unde promanet, perennem esse, & heic inceptam in vitâ futurâ in æternum prorogari : & *Deum*

Exod. 19 5

Ier. 20.
Ier. 28.

Ier. 25. 12.
1 Ch. 22. 13
1 Reg. 9. 4. &c.

* *In Pirke Aboth.*

† *Ioseph Antiq.* 18. 2

CAP.10 *Deum Abraha, Isaaci, Jacobi tum corpore mortuorum, esse Deum illorum anima adhuc*
Mat.5 *superstitum. Errarunt Pharisæi, qui legem glossis maledictis sacrum textum corrumpentibus,*
Mat.15.3. *oneraruut, qui innumeras traditiones è suo cerebello prompserunt, & legi addiderunt, qui*
Luc.11.46. *difficillimas observationes pōpulo imposuerunt, atque ita legis curam abjecerunt, ut suis praeceptis addititijs Dei mandata facerent irrita.* Christus igitur *noluit ut Scribæ & Pharisæi*
Mat.23.2, &c *(quos agnovit in Mosis Cathedra sedere, & populum oportere instituere) vocarentur Rabbi,*
Mat.23.8. *Rabbi*: hoc est, novam doctrinam procuderent, & à legis præscripto dextrorsum aut sinistrorsum deflecterent, & ad sectas & schismata faces præferrent. Voluit tamen, ut quæ ritè ex sacrâ docebant scripturâ, & facienda præcipiebant, attenderentur. *Christus ipse revera datus est nobis & Ecclesiæ suæ doctor & Rabbi. Is nova sacramenta suis dedit, & doctrinam sacram omnibus numeris perfectam &*
Joh.8.28. *absolutam exposuit, & καθὼς ἐδίδαξεν ὁ πατὴρ, ταῦτα λαλεῖ sicut docuit pater ille, illa eadem loquitur*, ut nos ejus exemplo doceremus, quæ ipse nobis est elocutus. Et *Spiritus sanctus in Christi nomine missus, omnia docuit Apostolos, & in eorum memoriam revocavit, quæcunque ijs dixit Christus. Quare si in hac permaneamus doctrina, sumus omnes διδακτοὶ τοῦ*
Joh.6.45. *Θεοῦ à Deo edocti & tenemus ὅσα ἐνετείλατο ὁ*
Mat.28.20 *Χριστὸς quæcunque Christus mandavit.* Æquissimum verò est, ut maneamus in ijs quæ didicimus, & quæ nobis (è sacra scriptura)

siunt

sunt concredita; *scientes (ut Timotheus) unde didicerimus*. Quare necessaria est omnis illa doctrina à Deo dictata, & *oportet nos in Christo radicatos & superstructos & fide confirmatos, sicut edocti sumus, ambulare*. Quoniam hæç est fidei & morum nobis regula; quam crebrò & multis nobis encomijs Deus commendavit tenendam & observandam. 2 Tim. 3. 14 Col. 2. 7. 2 Tim. 3. 2.

Est etiam doctrina sacra, quæ hominum studio & meditatione è sacris scripturis hauritur; eáque linguarum, artium & antiquitatis scientia plùs minùs elaboratur. Hæc amplissimè limites suos extendit, & ut arboris truncus, in multiplices ramos spargitur. Haud aliter quam ex datis principijs in artibus Mathematicis conclusiones cuduntur quamplurimæ. Ne vero heic erremus, 1. præivit nobis Spiritus sanctus, & suo exemplo monstravit, quomodo in nostris meditationibus scripturâ sacrâ utamur; ut per eam nos amorem Dei, fidem, consolationem, spem & vitam æternam consequamur. Nam sæpe *David & Job cum amicis ejus; & Prophetæ & Apostoli & Sancti viri* in Scriptura, ex consideratione Creationis, lapsus, redemptionis, totiúsque historiæ sacræ; in qua elucet Dei providentia & administratio, quâ omnia moderatur sapientissimè, laudes Dei celebrant, ad timorem Dei hortantur, ad fidem & obedientiam excitant, ad Evangelio credendum propter complementa prophetiarum & typorum alliciunt, positiones veteres & imprimis necessarias sacra autoritate & concordi

scriptur-

Cap. 10 scripturarum voce confirmant; rarissimè vero novas conclusiones colligunt. En metam & scopum meditationibus nostris accommodatissimum, exemplar nobis omni exceptione majus propositum! In hac verò semita si persistemus viam ad æternam beatitudinem calcabimus, & cogitationes nostras ita necessariis rebus exercebimus; ut minùs opus sit novas complures in singulis doctrinæ sacræ capitibus conclusiones eruere, & de ijs pugnas & controversias ad pietatis & religionis detrimentum, sanctorum dolorem, Ecclesiæ probrum, & Dei provocationem excitare. 2°. Spiritus sanctus nos admonet, *ut discamus non sapere supra id quod scriptum est, sed sapere ad sobrietatem; ne de verbis pugnemus, quod nullam adfert utilitatem, sed auditores subvertit; ut aversemur stultas & ineruditas quæstiones, scientes hujusmodi ingenij humani sobolem pugnas producere; ne simus pueri & fluctuemus, & circumferamur quovis vento doctrinæ in hominum alea per veteratoriam ad artificiose fallendum versutiam; ne simus* πολλοὶ διδάσκαλοι *multi magistri* & novā doctrinam procudamus. Licet igitur Linguarum dona, Artium scientia, & Antiquitatis cognitio sint à Deo (non minùs quàm *Bezelielis artificium à Deo donatum*) & usui in Dei servis (ut *in Mose & Paulo* gloriosissimis Dei instrumentis patet) laudatissimo; *ea tamen nostra est imbecillitas & in errorem proclivitas; ut summa heic adhibenda sit cautio.* Nam quamvis scriptura sit veritatis canon, & ex veris

1 Cor. 4. 6.
Rom. 12. 3
2 Tim. 2. 14. & 23.
Eph. 4. 14.
Iac. 3. 1.
Exo. 35. 30
Act. 7. 22.
Act. 22. 3.
Aug. doctr. Christ. lib. 2 cap. 40.

veris nil nisi verum ex innata vi sequatur: humanâ tamen inscitiâ sæpe veritas ita torquetur, & sinistrè exponitur, ut regula per se recta humanæ mentis depravatione ita incurvetur, ut falsissima inde exprimatur & vi quadam extranea extrudatur conclusio. Nec huc solùm inflectit & rapit mens humana sed & sæpe contra expressam Dei voluntatem multos in lapsus graves & in rebellionem præcipitavit; ut *Adamus* ad Pomum vetitum edendum, *Nimrodum* ad populum cohibendum à terram coloniis sanctis replendo, *Israelis reges* ad Idola colenda, ad mores orientales, & similitudinem cum Gentibus vicinis (*metu eorum, qui ægrè tulerunt populum Dei ritus observare sacros suis longè dissimiles*) affectandam. Et nunc quosdam habemus, qui sibi sapere videntur, & Spiritus sancti sapientiam contemnunt, imaginibus * sese prosternentes, in ignota lingua orantes, matrimonium quibusdam denegantes, omnium regum sceptra sui pastoris pedo subijcientes, cum legitimis juramentis dispensantes, & alia quædam contra diserta scripturæ verba & mandata (quæ Pharisaico quodam spiritu faciunt irrita) impiè agentes & defensantes; & tamen soli digni volunt censeri, qui Ecclesiæ Dei præsint, & verbum Dei exponant. Alios verò habemus, qui volunt magistratuum omnem curam & autoritatem eliminare; juramenta omnia pronuntiare illicita, & contra scripturarum tenorem damnare; qui paritatem inter servos Dei in sa-

1 Mac. 1. 43
2 Mac. 6.
* *Hoc vetitum est Ex. 20. 4 si honor parentibus debitus sit urgendus ab Exod. 20. 12. à Paulo Eph. 6 1. 2.*

CAP. 10

cris officijs occupatos, prorsus Koræ * dathanis & Abirami ruinæ, & corruptelarum tempore Asmonæorum invectarum obliti, student introducere. Si quosdam sic contra expressa scripturæ verba, & divina judicia constet rebellare; sciendum est multò esse facilius imbecillitati & depravationi nostræ scripturas torquere, pravè interpretari & enarrare. *Fuit sanè Pharisæorum secta ἀκριβεστάτη exquisitissima Iudæorum*; & *Sadducæorum secta à viris culta nobilioribus*: hæ tamen miserè sacrum textum suis glossis corruperunt; & quamvis post novum Testamentum Ecclesiæ donatum, quod multum lucis tam Judæis quam Gentibus erat allaturum, cursus Theologiæ videri poterat ab erroribus multò liberior; humana tamen factum fuit inscitia, ut malè sacra verba torquendo postea grandis hæresium enata sit fœtura. Jnde enim *Menandrianorum*, *Anthropomorphitarum*, *Montanistarum*, *Marcionitarum*, *Manichæorum*, *Arrianorum & aliorum hæreticorum* pestes originem sumpserunt. Atque hinc lites postea Thomistarum & Scotistarum quamplurimæ, hinc curiosæ multæ disquisitiones & digladiationes sectariorum sunt exortæ, atque hinc quæstiones multæ minùs necessariæ ad hominum mentes exacerbandas & Ecclesiæ pacem interturbandam infeliciter proruperunt. De quibus sigillatim dicere non est animus; cum illarum farrago in immensum jam numerum excreverit: Liceat tamen quasdam hujus generis eminentiores

in

* *Eadem enim est hæc ἀντιλογία in contradictio cum illa Koræ.* Iud. 11.

Act. 26 5. *Ioseph. Antiq.* 13. 18.

in medium protrahere & in sequenti capite paulò pluribus de ijs agere : ut constet superiora secula aut prorsus earum faciem ignorasse, aut consultò & prudenter tanquam fomenta & faces schismatum & seditionum vitasse & tenebris æternis adjudicasse. Cap. 10



CAP. XI.

Argumentum.

Inter religionis capita, primo illud de verbo Dei multis & minùs necessarijs quæstionibus turbatur · inter quas, illa jure censetur : unde nostis sacras scripturas esse verbum Dei, & divinâ autoritate nobis commendatas ? &, An Romana Ecclesia meritò dicatur nobis sacras scripturas suâ curâ conservasse, & autoritate commendasse ? Satis nobis est, Dei providentiā sacros libros nobis, stertente Roma, conservasse, & Hebræam Græcamque Gentem superesse ad linguarum sacrarum & textus originalis notitiam nobis communicandam. 2°. Caput Religionis de Sacramentis sine justa causa multis nunc vexatur litibus. Nam Judaica Ecclesia de pluribus suis sacramentis & typis nullam movit litem; Sacramentalis loquendi formula & tenor antiquus veteris Testamenti in novo observatur; Spiritus sanctus sæpe adhibens edendi & bibendi phrasin parabolicè, & in stilo grandiore, nos quasi vetat in litera hærere. Cum verò sensus omnes, etiam & auditus (ex quo dignoscuntur Christi oves) heic testes possint citari, cavendum est, ne quicquam temere aut falso statuere in re tam gravi & consolationis plena videamur.

Fuit

FUit ſanè temporis intervallum inter Malachiam & Johannem Baptiſtam opinionum & diſſenſionum multitudine magis quàm ſuperiora omnia vexatum, & laceratum. Etſi verò de traditionibus magna mota fuit lis; nunquam tamen de Verbo Dei & ſacri textus autoritate tot, quot noſtrâ hac ætate, increbuerunt controverſiæ. Nunquam quod ſcimus quiſquam ſectarius aut ſchiſmaticus tunc quæſivit; unde noſtis libros Moſis & prophetarum omnium eſſe verbum Dei, & ejus autoritate vobis commendatos? Sed Judæi, ac ſi res ab omnibus eſſet conceſſa & comprobata, aſſerunt; *Scimus Deum cum Moſe loquutum*: Hoc eſt, credimus & profitemur Moſen à Deo, quæ ſcripſit & populo dedit, accepiſſe. *Legerunt etiam ſcripta reliquorum prophetarum, quia inde ſperabant vitam æternam conſequi*; atque idcirco in hunc finem donata credebant.* *Quæ verò ſacra volumina Moſes & prophetæ iis dederunt, operâ cujuſlibet ætatis & virorum piorum ſtudio crediderunt contra omnium improborum & ſceleratorum conatus ſarta tecta ad ſe devenisse.* Ea enim ſemper ſeſe exeruit Dei providentia, ut non permiſerit impiam turbam notha ſcripta & adulterina pro ſcriptura canonica obtrudere, aut oracula divinitus miſſa ad populum in neceſſaria veritate inſtituendum intercidere. Temporibus corruptiſſimis, qualia erant illa Manaſſæ & Amonis, tam profundus ſomnus non Reges ſolùm & viros

Joh. 9. 28.

Joh. 5. 39.

* μετὰ ἀκριβείας πεφύλακται (εἰ δὲ θρασύτερον εἰπεῖν) φυλαχθήσεται. *Summa cura ſervantur & (liceat confidentius loqui) ſervabuntur. Ioſeph. in Apionem.*

CAP. II viros nobiliores, sed etiam ordines sacerdotales corripuit & eorum sensibus obrepsit: ut tempore Josiæ subsequente liber legis tanquam amissus & abjectus, protrahatur & à situ liberetur, & rursus summa Dei bonitate Ecclesiæ restituatur. Nec verò hoc aut alio quopiam tempore corruptissimo extitit quisquam tam insigniter impius, ut sacrum canonem se posse corrumpere aut violare putaret. Nam plura extiterunt exemplaria, & majori hominum (*quos Deus inter Iudæos, ut inter Israelitas 7000. genu Baali non inflectentes, integros servavit*) curâ & vigilantiâ conservabantur, quàm ut facilè aut prorsus tollerentur, aut grandi aliqua corruptela inficerentur. *Cum Nabuchadnezaris furor omnia igne & ferro vastavit, cum Antiochi Epimanis immensa audacia legis divinæ observationem voluit abolere, legem ipsam extinguere, & Iudæos omnes ad ritus Gentiles adigere*: Deus impios hosce conatus fregit, & providentia sua libros sacros Mosis & prophetarum illæsos protexit. Nec hoc solùm temporibus fecit calamitosissimis: sed etiam anteà, temporibus magis tranquillis, ne nimis prolixa rerum narratione populus ejus gravaretur, historiam Regum copiosiùs in Annalibus Judaicis exaratam, in libris Regum jam dictis & in Chronicis in Epitomen voluit redigi. Nunquam tamen, quod scimus, in Ecclesia Dei hæc mota erat controversia: unde scitis Mosem & prophetas cum Deo aut à Deo loquutos? aut ea quæ præsentis

1 Reg. 19. 18.

2 Chr. 30. 7 &c.

2 Mac. 6.

ſentis illius ſeculi terebantur manibus Moſis & Prophetarum eſſe ſcripta? At jam qui omnia ſcrupuloſiùs rimantur, & ad faces controverſiarum accendendas ſunt promptiores, quærunt, & imprimis hoc agitant; unde noſtis utriuſque Teſtamenti libros eſſe ſcripturas divinitus datas? quod ſanè curioſiùs multò quam ſapientiùs interrogatur. Nam cum omnes, qui Chriſtianorum gaudent nomine in Eccleſiis tum reformatis, tum Pontificijs, nec non in Anabaptiſticis & omnibus ſectariorum conciliabulis uno ore hoc profiteantur; otioſè & ad temporis diſpendium in ipſo limine inter Chriſtianos hoc quæritur. Comperimus in ſcriptura, quantam multitudinem Judæorum à Chriſto Meſſia agnoſcendo nimia quædam ſcrupuloſitas detinuerit, dum anxiè nimis quæritabant; *unde hæc huic ſapientia, & virtutes? nonne hic eſt fabri filius? Et, qua autoritate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc autoritatem? Et, Si hic propheta eſſet, ſciret utique, qualis eum jam tangat mulier. Et, num ex Galilea venturus eſt Meſſias? Et, Tu Teſtimonium das de teipſo, teſtimonium tuum non eſt verum.* Chriſtus ſic & Novum Teſtamentum & totum verbum Dei tot & tantis commendantur nobis teſtimonijs, ut quæſtio hæc jure cenſeatur minus neceſſaria, & ſine juſta cauſa inter Chriſtianos agitata: præſertim cum inter omnes Chriſtianos à libris Moſis ad finem Malachiæ, & à Matthæo ad finem Apocalypſeos, unanimo ferè conſenſu recipiantur: nec hac in re nobis cū Pontificijs aliqua eſt diſſenſio.

Mat. 13. 54
Mat. 21. 23
Luc. 7. 49.
Joh. 7. 41.
Joh. 8. 31.

CAP. II ¶ At ulterius quærunt nonnulli. Nonne ideo credimus has scripturas à Deo esse, quia Ecclesia hoc asserit, nobísque eas commendavit? Ecclesiæ, inquam, ídque meritò multum tribuimus: eíque observantiam matri debitam animitus deferimus. Sed quam tandem vultis Ecclesiam? Romanam, inquiunt. Veterem, inquam, Romanam Ecclesiam nobile Ecclesiæ Catholicæ membrum jure veneramur. *Utpote cujus fides in toto orbe deprædicabatur.* (Rom. 1. 8.) At nos etiam loquimur, inquiunt, de Romana Catholica, quæ nunc est. Quod monstrum hoc, inquam, locutionis est? De Romana Catholica? idem est, ac si diceretis, de particulari universali Ecclesia. Quippe si Pauli tempore Romana Ecclesia fuit ipsissima illa Catholica, & eosdem cum Catholica habuit limites; Unde fit, ut Christus 7. Ecclesias Asiæ, Ecclesiam Ephesinam & Ecclesias Galatiæ & reliquas nunquam de subjectione Ecclesiæ Romanæ aut ejus Episcopo admoneat? *sed jubeat audire illum, qui tenet 7. stellas in dextra sua; qui ambulat inter 7. candelabra, qui primus est, & ultimus; qui fuit mortuus & vivit; qui ex ore ejus romphaeam ancipitem habet prodeuntem.* (Apoc. 1 & 2.) Unde fit, ut nunquam expressis verbis Paulus vel semel nominet Ecclesiam Romanam, cum nomen Ecclesiæ reliquis ferè omnibus attribuat? Sed his missis, affirmo Romanam Ecclesiam ejúsque filios sacrum scripturæ textum debito honore per multos jam annos neutiquam affecisse, aut jam afficere. Nam primò hunc

hunc opprobrijs indigniſſimis, quas aures horrent religioſæ, onerant. Dum vocant * *Leſbiam regulam, naſum cereum, merum putamen ſine Nucleo,&c.* Deinde quod Biblia inter libros prohibitos accenſent, & tanquam officinam hæreticorum hæc populo interdicunt. Tum autem quod populum in doctrina & praxi detinent, quæ ſcripturæ eſt alieniſſima. Præterea quod ſuâ antehac aut imperitiâ aut ignaviâ “ effecerunt, ut non multis abhinc annis increbeſceret illud: *Græcum eſt, Hebræum eſt; non poteſt legi: ut Græco* * *textu non uterentur, Latinum ſolum citarent; ut Græca & Hebræa exemplaria tanquam corruptiora Latino ſuo poſtponerent.* Non ergo Eccleſiam Romanam & chariores ejus filios cenſemus idoneos & dignos ſatis ſacri textus conſervatores. Fuere pij quidam viri & eruditi à Deo excitati, qui in tenebricoſis & tumultuoſis temporibus Eccleſiæ, ſacros ſcripturæ libros (Deo ſic volente) conſervarunt & diſſeminarunt; ita ut Barbarorum incurſus omnia miſcentes & Lombardi diſcipuli quæſtionum curioſiorum fabri *poſitiva* † *omnia è ſcholis exterminantes*, hos codices non extinxerint. Horum, licet in obſcuro latentium, induſtriâ doctrina Chriſti & Apoſtolorum; ut & Prophetarum ſuperiorum, & cognitio omnis neceſſaria in ſacris codicibus contenta, nobis delata eſt. Deus, qui omnibus ætatibus doctrinam ſalutis, ut quæque ferre potuit, & ſapienti ejus conſilio viſum eſt, communicavit, nobis non defuit, nec unquam nobis

* *Turr. contr. Sadael. pag.* 99. Pigg. Hier. *lib.* 3. *c.* 3. *Lindan. l.* 6 *Pan.*

* *Opera ſupervacanea in Græcis literis. Dorp. in diſſert. Tho. Mori. Eq. de Theologaſtr.*

† *T. Morus de Theolog.* ibid.

bis deerit : Hoc asserimus, & credimus. Prospexit nobis Dei oculus, ut mundo semper an-
Joh. 21. 25. Mat. 19. 11 tehac ὅντινα ἂν λόγον ὁ κόσμος καὶ αἰὼν χωρήσειε, *quam sermonem hic mundus & ætas acciperet*, hoc est, non tam contineret, quam aut propter necessitatem suam aut infirmitatem par esset accipere. Licet autem in tempora & homines corruptissimos & talpa cæciores inciderint libri sacrosancti : quis tamen Ecclesiæ hostis aut veritatis falsarius tam egregiè audax aut impudens fuit, ut speraret se scripturas sacras Græco idiomate (*quod per totum*
* *Tul. pro Arch.* * *orbem, Christi tempore fuit nobilitatum*) aut Hebræo (*cujus Judæi* † *stupendi sunt nobis*
† *Euſ. Hiſt. 3. 10. & Ioſephus in Appion.* *conservatores*) aut prorsus tollere, aut ad libitum suum permutare posse & pervertere. *Deus qui voluit Ecclesiam suam super fundamento Apostolorum & prophetarum*, scil. propheticâ & Apostolicâ doctrinâ (*Christo*
Eph. 2. 20. *lapide angulari posito*) *ædificari* ; noluit nos sacris eorum libris, quos Romana Ecclesia neglexerat, carere. Immo cum universas mundi nationes antiquas Dei ira confuderit aut exstirparit ; ut qui jam Syri, Persæ, Medi, Babylonij, Idumæi, Tyrij, Moabitæ nominentur, non tam ab eorum sanguine, quam regione & loco nomen sumant : voluit tamen Deus populum Græcum & Hebræum adhuc superesse, & sanguinis & linguæ suæ antiquæ distinctionem & notitiam, plusquam cæteras nationes, retinere. Ut sacri textus verba ; si non sensus (quod etiam rectè non nunquam faciunt) nobis interpretarentur : & præsto adess-

adessent populo omni sacrarum linguarum ferè oblito, & aliarum linguarum nimio amore & admiratione incenso. Quid multa? In Ecclesia certè primitiva *prodijt lex è Sione, & verbum Domini* (non Romà, sed) *Hierosolymis*; & inde in totum dimanavit orbem; nempe in *Ecclesiam* (ut in novo Testamento patet) *Corinthiacam*, *Colossensem*, *Romanam*, *Thessalonicensem*; *in Ecclesias Asianas & reliquas omnes*. Quod verò non par sit, ut Romana Ecclesia instaurationem & propagationem scripturarum omnium, sacræ doctrinæ, imprimísque textus originalis in ultimis his temporibus sibi arrogaret: incuria & neglectus & opprobria ejus in opus illud Spiritus sancti conjecta liquidò demonstrant. Nisi enim per totum orbem disseminata fuissent sacri textus exemplaria, nisi Deus hæc exemplaria, & linguarum sacrarum scientiam gratiosè conservasset, codices divini aut prorsus intercidissent, aut tineis & blattis corrodendi (quod his evenit in Ecclesia Romana diutius multò, *quam Mosaicis scriptis in Judæa, tempore Josiæ erutis*) latuissent; & perpetuis crassissimæ ignorantiæ tenebris (nisi Deus in lucem eos protraxisset) fuissent traditi. Desinat ergo Roma gloriari de verbo Dei sua vigilantia conservato, & sua autoritate nobis commendato, ut inde applausum & existimationem suæ Ecclesiæ lucretur. Nec si hoc daretur (quod certè dandum non est) non hinc tamen sequeretur, majorem Ecclesiæ Romanæ in alijs rebus subjectionem

Mac. 4. 5.
Luc. 24. 47
2 Chr. 34. 15.

ctionem & obedientiam esse à nobis præstandam, quam olim in temporibus primitivis fuit aut nunc est Synagogæ Judaicæ; quæ infinitis partibus omnes in sacro Hebræo textu conservando antecellit. Si verò heic conticuerit Roma, scrupulosa hæc disquisitio inter reliquos Christianos citò conquiescet: quoniam prorupit de re potius credenda, quam disputanda, & ob quam Deus glorificandus, non homines vexandi. Licèt verò variæ sint in utroque Testamento lectiones, & exemplaribus multis inter se non conveniat; unde spinosiores argutiæ possunt exoriri: non tamen heic nimiæ cujusquam curiositati indulgendum. Nam cognitio nulla necessaria & salutaris doctrina de fide & moribus varietate ista tollitur, aut infringitur. Quod si verò Spiritus sanctus (qui, ut Rabbini, *loqui solet linguis hominum*, formulis scilicet populo alicui usitatis) non Grammaticos canonas & regularem Græcis & Hebræis loquendi formam strictè, ubi omnia exemplaria conveniunt, sequatur: minùs mirandum, si qui describebant aut excudebant sacros codices, in apicibus quibusdam levioribus, & voculis sacrum sensum parum aut nihil turbantibus, variarunt. Ad hominum salutem, & nationum omnium conversionem collimat Deus, minima hæc non sunt tanti, ut grande illud & gloriosum opus Dei remorentur. Veruntamen à quo tempore linguarum sacrarum scientia piorum virorum industria & Hebræorum Græcorúmq; ope de novo progerminavit: ratio istius varietatis optimè aperitur, Librariorum et Typographe-

Mos. Maimon. Mor. Neb. lib. I. 26.

phorum lapsus commodè sanantur, & nisi scru-
pulositas quorundā in litibus de apicibus et pun-
ctulis immorans & ĩmoriẽs sit impeditura, peri-
torum in linguis studio, & ope exemplorū
antiquorū & alijs rationibus resarcientur. Sed
in hoc opere non est temerè procedendum, ni-
hil sine magna cautione tentandum: quæ si ad-
hibeatur; quum anni jam à Lutheri tempo-
ribus elapsi multum lucis orbi attulerint, &
Romanenses quosdam (quod ad eorum
laudem dico) ad textus etiam sacri origi-
nalis scientiam & enarrationem, æmulati-
one quadam hominum nostrorum, adduxe-
rint: sperandum est ætatem subsequentem
illustriores & luci sacræ clariores radios esse
dispersuram. Præsertim si omissis litibus &
controversiis & disquisitionibus inutilibus, in
hoc opere scholæ unanimo consensu oleum &
operam impendant. Sed nolo de hac re plura.

Inter reliquas vero horū temporū controver-
sias, nullæ graviori animorū motu, acriori ver-
borū clamore, grandiori librorum, & quæstionū
mole, quam illæ de sacramentis sunt ventilatæ.
De quibus aliquid jam dicturus sum, & osten-
surus nihil esse causæ, cur Ecclesiæ Christianæ
mutuis inter se armis vehementiùs, & clamo-
siùs (quàm de suis sacramentis Ecclesia olim
Judaica) concertarent & præliarentur. Sciunt
omnes Deum non solum verbo suo aures homi-
num ab ipso mundi initio aperuisse, & in eo-
rum corda doctrinam cœlestem immisisse: sed
& oculos externis quibusdam signis & sigillis de
vita æterna & beatitudine in Christo ijs donan-
da informasse. Quod ex varijs sacrificiis, typis &
ritibus

Cap. I.

CAP. 11. ritibus qui tẽpore Patriarcharũ fuerunt in usu, liquidò manifestũ est. Tandem verò cum populũ suum jussit agnum paschalem sine macula parare, consecrare, jugulare, edere; omnes fere eorum sensus exercebat; & animis eorum sensum ingerebat beneficiorum, quæ accepturi erant à Christo agno innocente posteà mactando. *Licet autem agnus dicatur Pascha, & Israelitæ jubeantur parare, seponere, jugulare, edere Pascha*; in his tamen formulis semper denotatur agnus paratus, sepositus, mactatus, comesus. Qui typus erat Christi suo tempore pro hominibus pretiosum suum sanguinem effusuri; & illos morte sua à morte & perditione liberaturi. Quod tandem fecit, *et nobis fuit reverà Pascha*, transitum è servitute plusquam illa Ægyptiaca ad cœli gaudia faciẽs. Populus certè Israeliticus has loquendi formulas satis intellexit, nec unquam pravè ad hæresin aliquam detorsit. Ut verò pueri & omnes quibus captus imbecillior, hujus sacri ritus mentem caperent, nec in errorem aliquem deflecterent; cum juniores interrogabant: quis hic cultus? Edocendi erant hunc in modum. Est victima Paschatis Jehovæ, qui transiens domos Israelitarum in Ægypto, Ægyptios occidit. *Ubi agnus, qui anteà dicebatur Pascha, planius * nominatur victima Paschatis.* Eodem prorsus modo *circumcisio dicitur fœdus* ∴, & *fœdus in carne*. At nequis erraret, *dicitur etiam † signum fœderis*; *dicitur sigillum justitiæ fidei*. Nempe visum est Deo signum & sigillum nomine rei significatæ insignire; quò animos

Exod. 12. 11. & 48.
Lev. 9. 2.
Exod. 12. 21.
Deut. 16. 2.
2 Chr. 30.
Exod. 12.

* *Quod alibi obscurius, alio loco est planissime dictum. August. de Doctrina Christ. 2. 6.*
∴ Gen 17. 10. & 13.
† Gen. 17. 7.
Rom. 17. 11

animos altius sensu beneficiorum inde in illos collatorum feriret; & fidei illorum certius daret fundamentum. Alicubi verò ita apertè & clarè loquitur scriptura, ut quid velit in locis elegantioribus, & loquendi formula nobiliori, nemini Spiritus sancti consuetudinem satis trutinanti esse possit obscurum. In novo etiam Testamento eandem sese exprimendi rationem tenet Spiritus Dei semper sibi similis. Nam loquens de Baptismo, quo nos in Ecclesiæ ovile (ut Judæi olim per circumcisionem) admittimur, ad hominum captum varietate expressionum ejusmodi utitur. Siquidem Christus in Baptismi institutione, *Docete inquit, omnes* [a] *Gentes, & Baptizate eos in nomine Patris & filij & Spiritus sancti.* Alibi verò, *Quicunque* [b] *credit & Baptizatus fuerit, servabitur.* Ut verò pateat, unde salus illa sit, dicitur. *Quod Christus* [c] *nos dilexit, & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum, qui* [d] *multò magis nobis, quam profuit sanguis hircorum & juvencæ Judæis, sit profuturus.* Alibi autem sermo est de sanctificatione [e] *Spiritus per obedientiam & aspersionem sanguinis Jesu Christi agni inculpati & incontaminati. Et, de ijs,* [f] *qui Communionem habent cum Deo, eos nempe sanguine Jesu Christi purificari ob omni peccato.* Qualis verò sit ablutio in Baptismate, & quo externo signo peracta, patet: quia *Philippus* [g] *& Eunuchus in aquam descenderunt: Et quia Paulus ait, Christum Ecclesiam suam,* [h] *sanctificarre*

a Mat. 28. 19.
b Mar. 16. 16.
c Apo. 1. 5.
d Heb. 9. 14.
e 1 Pet. 1. 2.
1 Pet. 1. 18
f 1 Joh. 1. 7.
g Acts 8. 38.
h Eph. 5. 26.

Cap. II *ficare & purificare lavacro aquæ per verbum.* Aliæ etiam sunt expressiones in sermone de hoc sacramento. Nempe cum dicimur *baptizari in* [i] *Christum, &, in mortem* [k] *Christi, & in unum* [l] *corpus; idque lavacro* [m] *παλιγγενεσίας regenerationis.* Christus verò ascensurus promittit, discipulos *baptizandos fore ἐν πνεύματι ἁγίῳ Spiritu Sancto.* Ultimò, Johannes; *tres* [n] *sunt*, inquit, *qui testificantur in terra; Spiritus & aqua & sanguis: Hi verò tres unum sunt.* His omnibus inter se collatis manifestum est, aquam in Baptismate esse signum externum, sanguinem Christi effusum pro nobis esse rem significatam; Spiritum autem sanctum Christianis datum sua opera per fidem nobis hæc applicare. Nam *Deus nos obsignat, & nobis dat arrhabonem Spiritûs in cordibus nostris.* Sic in his loquendi formulis de hoc sacramento distinctè observare licet (ut ante in circumcisione & Paschate) externum signum, sigillum seu testem, atque etiam rem significatam.

i Gal 3.29. k Rom.6. 3. l 1 Cor.12. 13. m Tit.3.5. n 1 Joh.5.8. 1 Cor. 1. 22.

Jam tandem ad Cœnæ Dominicæ Sacramentum, & loquendi formulas de ea usurpatas observandas veniamus. Heic *Christus panem sumpsit. fregit dedit; accipite, inquiens, comedite: Hoc est corpus meum.* Ut verò quid sibi vellet hæc locutio caperemus; & ut omnibus constaret, qua ratione panis dicatur Christi corpus: Christus fusiore usus est hujus phraseos explanatione, & animos omnium ad ejus intellectum pluribus verbis præparavit: ubi sumpta occasione *à populo eum quærente, quia quinque panibus millia hominum quinque saturaverat;*

Mat.26.27. Joh.6.26.

&

& gloriante in Mose, qui Manna patribus eorum dederat è cœlo comedendum. Christus docuit de cibo, [a] *qui permanet in vitam æternam, & de vero pane* [b] *cœlitus dato. Panis verus, inquit Christus, is est, qui de cœlo descendit, & vitam mundo dedit. Et ego sum* [c] *panis ille vitæ, qui venit ad me non esuriet; & qui credit in me non sitiet unquam.* Et rursus eadem ingeminans, ut veritas hâc elegantiori formulâ loquendi proposita animos eorum penetraret: [d] *Quicunque in me credit, vitam habet æternam. Ego sum panis ille vitæ. Et rursus, Ego sum panis* [e] *ille vivus, qui de cœlo descendi: si quis ederit de hoc pane vivet in æternum. Panis autem quem ego dabo, est caro mea: quam ego dabo pro mundi vita.* Et rursus, *Amen* [f], *Amen, dico vobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis. Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, vitam habet æternam. Nam caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Sicut misit me pater ille vivus; & ego vivo per Patrem; etiam qui ederit me, vivet ipse quoque per me:* & quæ sequuntur. Lucidior & clarior hujus phraseos enarratio esse non potest. Paucis verbis dat Christus, quod omnia omnium commentaria superat; ac si studio habuisset omnem ansam litigandi tollere. Paulus verò hac de re agens, docet: *Christum sumpsisse panem, & gratiis actis fregisse, & dedisse, & dixisse. Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis, usque quo venerit.*

a Vers. 27.
b Ver. 33.
c Vers. 35.
d Vers 47.
e Vers. 51.
f Vers. 53.
1 Cor. 11. 33.

CAP. II Heic idem loquendi tenor, qui in aliis sacramentis superiùs, servatur. Nam panis est signum externum datum εἰς ἀνάμνησιν ad recordationem. Unde etiam sigillum & testis est oculis nostris sese exhibens. Est heic etiam res significata, nempe Christi corpus fractum pro nobis, & reminiscendum. Nec aliter se res habet in participatione poculi. Nam Christus, *Accipite* [a], *inquit, bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui propter multos effunditur in remissionem peccatorum: dico autem vobis, non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis.* Et Lucas: *Hoc poculum* [b] *est novum illud pactum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur.* Et Paulus; *Hoc poculum* [c] *est novum illud pactum per sanguinem meum: Hoc facite, quoties biberitis ad mei commemorationem. Quisquis autem ederit panem hunc & biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et alibi, *Poculum* [d] *illud benedictionis, cui benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi?* Et de pane; *Panis quem frangimus, nonne est communio corporis Christi? quoniam nos multi existentes sumus unus panis & unum corpus.* Heic vero jubet Paulus [e], *ut quid dicat, judicemus.* Cum enim loquutus sit ad captum cujuslibet planissimè, quia secundum tritam & usitatam in sacramentis consuetudinem; ad Corinthiorum & in iis ad nostrum appellat judicium. Nec enim in tritissima & calcatissima semita, nisi oculos sponte claudat suos, deviare potest quisquam. Quid verò aliud potest heic aliquis judicare, si usus

a Mat. 26. 27.
b Luc. 22. 20.
c 1 Cor. 11. 25.
d 1 Cor. 10. 16.
e 1 Cor. 10. 15.

usus loquendi in sacramentis frequens ei non sit ignotus; quàm, signum externum heic esse, poculum: & in eo vinum seu fructum vitis, nostris oculis, olfactui, gustui, & tactui εἰς ἀνάμνησιν ad recordationem exhibitum, tanquam signum, sigillum & testem; & rem significatam scil. sanguinem Christi pro nobis effusum, & in hoc sacramento reminiscendum? Quod si verò quispiam ulteriùs contendat. At expressis verbis Christus dicit *panem esse corpus suum. Et, nisi ederitis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, vitam non habebitis.* Joh. 6.
Sic etiam disertissimè in Paschatis institutione Scriptura dicit, *Pasca parandum, seponendum, mactandum, edendum*; hoc est, agnum, seu victimam Paschatis esse parandum, seponendum, jugulandum, edendum. Sic circumcisio dicitur fœdus; cum tamen sit signum fœderis, & sigillum justitiæ per fidem. Sic poculum, hoc est vinum in poculo dicitur fœdus Novi Testamenti, hoc est repræsentatio sanguinis Christi, quo fœdus Novi Testamenti confirmatur. Quod si verò in prioribus Sacramentis elegantiùs loquutus sit Spiritus sanctus, quàm ut rigidè expressa verba sint urgenda, & primæ & nativæ eorum significationi sit inhærendum. Multò magis in sermone de pane idem faciendum est. Nam cum Judæi crassiùs verba Christi intellexerant, dicentes: *quomodo potest hic carnem suam nobis dare comedendam?* Et quidam è discipulis Christi, *durus*, inquiebant, *hic sermo est; quis eum potest ferre?* Christus omnem illam, tum quæ in illorum, tum quæ in Num. 9. 13. Joh. 6 52. Joh. 6 60.

Cap. II

nostris mentibus potest oriri, tollit dubitationem. Nam cum antea dixisset, se panem esse vitæ, & comedentem ex hoc pane vitam æternam esse habiturum; & panem hunc, quem daret, esse carnem suam, non agni Paschalis, aut cujuslibet alterius sacrificii: se verò suam carnem daturum pro vita mundi, hoc est, se moriturum, corpus suum frangendum esse, sanguinem effundendum, sacrificium Deo gratum, & in quo Deo complacuit, pro vita mundi; addit: *quod si eos hoc* [a] *offendat*, quod fracto corpore, & sanguine effuso sit moriturus: *quid dicerent; si viderent filium hominis* ([b] Θεὺ λύσαντος ὠδῖνας τῦ θανάτυ, *solutis à Deo mortis doloribus*) *eò ascendentem* †, *ubi prius erat*; nec ipsum corpus suum comedendum nec ipsum sanguinem bibendum (sensu Capernaitico) tradere. Scire igitur oportebat, quod *verba quæ loquutus est, erant Spiritus & Vita: quod Spiritus est, qui vivificat; quod opus Dei est & Spiritus, ut in eum crederent, quem misit Deus.* Atque *hinc est quod in hoc sermone cum Judæis sæpius* * *fidei facit mentionem*, & apertè affirmat; *eos, si in eum crederent, nunquam esurituros aut sitituros; & si carnem ejus ipsissimam, corpoream & substantialem comederent, hanc nihil esse profuturam.* Nam per corpus Christi fractum & sanguinem effusum, utpote victimam Deo gratissimam, habemus ἀληθῶς βρῶσιν, καὶ ἀληθῶς πόσιν *cibum veraciter, potum veraciter*, non terrenæ vitæ inservientes, sed quibus vitam æternam, vitam verè dictam consequimur. Et *quicunque hoc modo filium videt*,

[a] Joh. 6. 61

[b] Act. 2. 24

† *Ascendit autem paulò post: & corpore suo cœlos penetravit.*

* *Joh. 6. versibus* 29 35 36. 40. 47.

videt, & in eum credit, vitam habet æternam. Joh. 6. 40.
Huic doctrinæ sæpius reliqua consonat Scriptura. Perpendatur verò, quod cum Deus sapientiæ fons, morte Christi θεανθρώπου, & oblatione ejus in cruce, & victoriâ ejus parta per resurrectionem à mortuis, nos redemerit: *Is*, ut nos intelligeremus, & animis nostris tanti in nos collati beneficii sensum teneremus fixum, variis modis & expressionibus usus est; iisque semper quæ hominum captui erant accommodatissima. Cum *Adamus & Eva senserunt se nudos*, nudos justitia & sanctitate illa, quam in Creatione sua Deus iis largitus est;
Deus eos tunicis pelliceis induit. Cum verò Gen. 3.
Christus dicatur agnus ab initio mundi ad verам ejus oblationem & suam ipsius mortem Apoc. 13. 8
usque occisus; & heic comperimus pellem primò animali detractam, si quisquam dicat, non temerè dicit, Adamum & Evam nudos edoceri Christũ induendum esse; quem animal innocens agnus occisus repræsentabat. Deinde cum Deus Adamo victoriam Redemptoris concertantis cum Serpente humano generis hoste, voluit depingere;
Serpenti, Semen, inquit, mulieris con- Gen. 3.
teret tibi caput; tu autem conteres ei calcaneum. Quibus loquendi formulis innuit Deus bellum Serpentis contra Christum, & passionem Christi cum sanguinis effusione: ita tamen ut Christus vulnus lethale Serpenti infligeret, & morte sua victoriam gloriosam reportaret. Quid verò ad hoc exprimendum potuit esse significantius? Deinde sacrificiis Noæ, Patriarcharum, & Sacerdotum mors Christi exprime-

CAP. II

batur: quæ grati erant odoris Deo: & figura-
Gen 8.21. bant Christum, *qui dedit seipsum pro nobis oblationem & victimam Deo, in odorem bonæ fra-*
Eph. 5.2. *grantiæ.* Postea cum Israelitæ sese ad iter ex Ægypto accingebant & viatica parabant; *Deus Christum repræsentabat sub agno Paschali occidendo & comedendo; cujus sanguis erat aspergendus circa januas Israelitarum*; & aliæ plures circumstantiæ observandæ, omnes significationum plenæ. Quibus nihil tempori & itineri & liberationi isti fieri potuit convenientius, & populi illius captui expressius? Quid multa? Plures erant typi redemptionis nostræ per Christum, plures ritus & actiones ad hanc depingendam inservientes, quàm ut paucis possint percenseri. Apostolus multa breviter perstringit, cum ait *populum Israeliticum multis usum cibis & potionibus, & diversis ablutionibus & ritibus usque ad præstitutum*
Heb. 9. 12. & 26. & 29. *tempus διορθώσεως reformationis. Quo tempore Christus ipse venit per majus & perfectius Tabernaculum, & per sanguinem proprium semel in Sacrarium ingressus, æternam redemptionem*
Col 1. 20. *nactus est. Hic εἰρηνοποιήσας pacem nobis obtinuit per sanguinem Crucis. Et inde habemus nos libertatem ingrediendi Sacrarium per sanguinem*
Heb 10. 19. *Christi eâ viâ, quam dedicavit nobis recentem & vivam per velum, hoc est, per carnem suam.* Quod si vero heic quibus loquendi formulis
Mat. 1. exprimatur illud, quod nudis verbis dicitur: *Vocabis nomen ejus Jesum servabit enim populum à peccatis illorum*, vellem investigare; opus parum facile, at valdè utile aggrederer.

E multis

E multis pauca adducam. *Fuit Christus dux qui pascit* [a] *populum Israelis. Rex eorum astro in-* a Mat 2 6,
digitatus: fuit Petra [b] *supra quam domus ædi-* b Mat. 7. 25
ficata, nullis procellis aut inundationibus erat percellenda. Filius [c] *est Altissimi, Thronum* c Luc. 1. 32
Davidis Patris sui insidet, super domum Jacobi regnaturus. Per hunc [d] *Deus fecit redemptio-* d Luc. 1.
nem populo suo; & cornu salutis excitavit in 68.
domo Davidis; & salutem nobis dedit ab omnibus inimicis, & è manu omnium qui nos oderunt. Hic tanquam medicus [e] *cœlestis omnes sanavit* e Mat 9 35
infirmitates & morbos. Hic is est, qui [f] *fati-* f Mat. 9. 38
gatos & onere pressos sublevat: Hic bonus est 15.
Pastor [g]*, qui vitam deponit pro ovibus; qui* g Joh. 10.
ovem [h] *unam perditam quærit, & inventam* 15.
humeris reportat. Hic ostium [i] *est, & per eum* h Mat. 18.
12
quisquis ingreditur salvabitur. Est magnus i Joh. 10. 9
Pastor [k] *ovium per sanguinem æterni pacti.* k Heb 13.
Hic passus [l] *est, ut sanctificaret populum per* 20.
proprium sanguinem. Ille [m] *nos redemit pretioso* l Heb. 10.
29.
suo sanguine utpote agni inculpati & innocentis. m 1 Pet. 1.
Hic erat vitulus [n] *saginatus, quem pater in* 19.
reditu filii prodigi mactavit; Hujus san- n Luc. 15.
guis [o] *purificat nos ab omni peccato; In hu-* 23.
jus [p] *sanguine lavant & dealbant stolas suas* o 1 Joh. 1. 7.
omnes Christiani; Est [q] *ostium, per quod aditus* p Apoc. 7.
14
ad salutem; Quicunque nomen [r] *hujus invocant* q Joh. 10. 9
salvantur; Non est aliud sub cœlo [s] *nomen,* r Act. 2. 21.
per quod oporteat nos salvari; Ille Ecclesi- s Act. 4 12.
am [t] *proprio sanguine acquisivit; Ille ca-* t 1 Cor. 12
27.
put [u] *est corporis scil. Ecclesiæ suæ; & nos* v Col 1. 18
sumus corpus ejus. Spiritus [x] *Christi, qui ex-* x Rom. 8.
citavit Christum à mortuis mortalia nostra 11.

Cap. II

corpora vivificat. Mortificati y sumus Legi in
y Rom. 7. 4. corpore Christi, ut fructum feramus Deo. Re-
z Rom. 5. 10. conciliati sumus z per mortem Christi; & re-
conciliati, multò magis per vitam ejus servabi-
a Acts 15. 11. mur. Per a gratiam Jesu Christi credimus nos
salvos futuros. Nunc nos baptisma b servat
b 1 Pet. 3. 21. per resurrectionem Christi. Qui longinqui c e-
ramus propinqui facti sumus per sanguinem
c Eph. 2. 13. Christi. Christus nos mercatus d est pretio;
d 1 Cor. 6. 20. nempe emit e nos Deo sanguine suo. Filii Dei
e Apoc. 5. 9. sumus f per fidem in Christo Jesu. Quicunque
f Gal. 3. 26. enim g in Christum baptizati sunt, Christum
g 1 Joh. 3. 8. induerunt. Christus opera h Diaboli solvit;
h Rom. 16. 20. eumque calcat sub pedibus suis: tandem verò
i Act. 26. 18. dabit eum i sub pedibus nostris calcandum.
Christus Gentes à tenebris ad lucem convertit;
à potestate Satanæ ad Deum, ut recipiant re-
Rom. 10. 9. missionem peccatorum & sortem inter sanctos
per fidem in eum. Quicunque professus fuerit ore
Eph. 2. 20. suo Dominum Jesum, & corde crediderit, quod
Deus hunc à mortuis suscitavit, salvabitur.
Christus est lapis angularis, in quo totum ædifi-
Rom. 3. 25. cium congruenter compactum crescit: ut sit
Templum sanctum Domino. Is est ἱλαστήριον
propitiatorium per fidem in sanguine ipsius. Is est
1 Joh. 2. 2. ἱλασμὸς propitiatio pro peccatis nostris: nec pro
nostris solùm, sed & pro totius mundi peccatis.
Joh. 6. 35. Is est panis vitæ: qui venit ad eum nunquam
esuriet, & qui credit in eum non sitiet unquam.
Sed quid plura? Plures sunt parabolæ de regno
Dei nobis in Christo, per divitem ejus gratiam
dato, plures res quibus Christus assimulatur;
quibus ejus in nos beneficia comparantur,
quàm

quàm ut facile sit eas omnes vel nominare. Quibus tot & tam familiaribus usus est Deus expressionibus; ut ad cujusvis captum clarè & apertissimè loqueretur, & omnium mentes in fide Jesu Christi confirmaret: ut omnes crederent *Christum sanguine suo in cruce pro nobis effuso, & unico suo sacrificio semel oblato Testamentum nobis confirmasse, Deum placasse, & vitam nobis aeternam dedisse.* Inter tot verò expressiones & loquendi formulas maximi sunt momenti & consolationis plenissimae, phrases illae *de Christo induendo, de Christo nos redimente, abluente, satanam conculcante, ad convivium vocante, cornu salutis excitante, regem nostrum in aeternum persistente: de Christo lapide angulari, petra, vite, ostio, pastore, medico, doctore, patre, capite nostro. Baptismus verò in aqua, quo servamur; ut Noa cum suis in aquis diluvij; ut Israelitae in maris transitu & sub nube; (quae etiam salutem per Christum typicè monstrabant) eandem salutis doctrinam* per idem elementum expressam tum Gentium tum Judaeorum animis commodissimè ingessit; docuitque sordes peccati & pollutiones spirituales sic sanguine Christi pro nobis oblato, sicut aquae ablutione externas corporum sordes, tolli & abstergi. At nihil expressius, nihil significantius quam Phrasis illa in coena Dominica de Christi corpore comedendo & sanguine bibendo. Nam heic vinum dictum sanguis foederis, & denotans, & in nostram memoriam revocans sanguinem Christi pro nobis

Heb. 9 12. & 16. & 28.

nobis effusi; non spargitur supra Populum aut januarum postes, aut Librum sacrum, aut in Terram funditur: ut in Mose sanguis dictus sanguis fœderis; sed datur bibendum, ut aqua illa è Petra profluens, quæ Petra Christum denotabat. Sic vinum in hoc nostro sacramento utrique typo præcedenti respondet, & multò nos significantiùs docet, quàm priores illæ repræsentationes docuerunt Israelitas. Panis verò, quem in hoc sacramento edimus, corpus Christi pro nobis fractum optimè & appositissimè designat. Cum verò dicimur Christi carnem aut corpus edere; & audimus, quod nisi carnem ejus comedamus, vitam non habemus; verba hæc non sunt aliter urgenda, quam illa de Paschate parando, mactando, comedendo. Nec major nobis litigandi seges aut fomentum illeic, quam heic fuit Judæis. Nec aliter Christus est panis vitæ, & comedendus; quàm agnus tollens peccata mundi, & à Judæis comedendus. Nec nobis fas est hæc aliter urgere & interpretari, quàm Phrases alias in sacramento usurpatas, quàm Phrases in scriptura complures elegantissimas & stilo grandiore dignissimas. Ut cum dicitur. *Johannes Baptista* [a] *est Elias*; *Nabuchadnezar* [b] *est caput aureum*; *Aries* [c] *bicornis est rex Medo-Persicus*; *Hircus est rex Græciæ*: *Domus* [d] *Israel est vinea Domini*, *& viri Judæ sunt planta ejus deliciarum*; *populi* [e] *rebelles sunt principes Sodomæ & Gomorræ*: *Ager* [f] *in quo semen spargitur est mundus*; *bonum semen sunt filij regni*; *Zizania sunt filij illius*

[a] Mat. 11. 14.
[b] Dan. 2. 38.
[c] Dan. 8. 20, 21.
[d] Es. 5. 7.
[e] Es. 1. 10.
[f] Mat. 13. 38.

illius mali ; *Septem stellæ* g *sunt angeli 7. Ecclesiarum, septem candelabra sunt 7. Ecclesiæ.* In his parabolicè loquutus est Christus & Spiritus sanctus phrasi usûs nobiliori. Cum verò dicitur panis est corpus Christi, & Christus est panis & agnus ; elegantiores & altiores sunt hæ loquendi formulæ, non κατὰ τὸ ῥητὸν, *secundum verborum sonum*, sed parabolicè intelligendæ. *Nam Christus professus est, se per parabolas os suum (quod de illo David prædixerat) aperturum.* Et sicut in illis locis sacræ scripturæ semper aliquid est, quod parabolæ & tropo lucem dat & Dei mentem exponit ; sic in loquendi hac formula de sacramentis consueta ; & in hac ipsa locutione de sacra cœna aliquid est sensum verborum Christi planè & plenè indicans. Ut nihil sit causæ, cur Ecclesia Christiana tumultuetur, & litibus pluribus heic implicetur, quàm olim in re consimili Hebræa. Nam & heic postquam Christus panem corpus suum & vinum sanguinem suum vocaverat ; statim *vocat vinum fructum vitis* ; *& poculum vocat Novum Testamentum in sanguine*, fœdus scilicet factum cum sanguine ejus effuso. Et post verba illa institutionis ; resumuntur à Paulo *vocabula panis & poculi* ; *quoties, inquit, panem hunc editis, & poculum hoc bibitis.* Et infra: *quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Alibi verò dictum est, *Permanserunt in doctrina Apostolorum & communione & fractione panis.* Et, *congregati sunt*

g Apoc. 1. ult.

Mat. 13. 35.

Ps 73. 8.

Mat. 26. 29

1 Cor. 11. 25.

Acts 2. 42.

CAP. II

sunt discipuli ad frangendum panem. Et, Po-
Act. 20. 7. *culum benedictionis, cui benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?*
1 Cor. 10. 16. *Quia unus panis, unum corpus nos multi sumus. Nos enim omnes ex uno pane participamus.* Siquis ergo hæc probè attendat, & varietatem illam expressionum altiorum de salute nobis per Christum parta trutinet; nunquam is Judæis offendiculum ponet, & Christianæ Ecclesiæ controversias creabit, asserendo in sacra cœna verum, reale, & substantiale corpus & sanguinem Christi, scil. ipsum a sancta virgine procreatum antea, esse, & fieri transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem ipsissimum Christi. Quid igitur, inquiunt, num nuda signa in his sacramentis Ecclesiæ Dei proponuntur? num talis, qualem in privatis nostris sumimus familijs, panis & vinum tantùm nobis dantur, & à nobis accipiuntur? Nequaquam. Nam 1. panis & vinum heic sunt ad sacrum usum seposita & consecrata. Unde majori reverentia & præparatione sunt danda & accipienda. 2. in usu hujus panis & vini *annuntiamus mortem Domini, donec veniat, & ejus facimus ἀνάμνησιν recordationem.* 3. in usu panis
1 Cor. 11. 26. & vini hujusce sigillum (ut in aljis etiam sacramentis) accipimus promissionum Dei; Sigillum verò non est res ipsa nobis concessa,
Luc. 22. 19 sed quiddam de jure ad rem ipsam nobis fidem faciens. 4. Nobis reverà dat Deus & nos reverà accipimus omnia illa beneficia à

Deo

Deo nobis in Christo donata. Nimirum *salutem accipimus ab omnibus inimicis nostris; mortificati sumus peccato, vivificamur, facti sumus membra Christi, & unà cum eo omnia nostra sunt; & nos Christi peculium sumus;* Heb. 11. 19.
stolas habemus dealbatas in sanguine ejus; Joh. 8. 56.
remissionem peccatorum consequimur; & vitam æternam in nos habemus collatam. Nam fides dat ὑπόστασιν existentiam; & ijs quæ speramus ἔλεγχον exhibitionem rebus non visis. Sicut igitur Abrahamus in Isaaco quodammodo à morte recepto, & in sacrificijs & alijs expressionibus *Christi diem vidit*, & fide vitam æternam consecutus est. Sic & nos filij Abrahæ per fidem in Christo, qui in sacramentis nobis datus est, diem Christi & mortem ejus pro nobis cernimus, & salutem æternam per eum obtinemus. Abrahamo quidem Isaac filius promissionis, filius unicus & charissimus, morti propinquus & liberatus, potuit satis sensum imprimere de Christi morte & beneficijs inde in Abrahamum & genus humanum, qui in ejus semine erant benedicendi, collocandis. Nobis verò opus fuit expressione aliqua altiore & grandiore; ideoque nobis proposuit Deus, quod ederemus & biberemus: scil. panem & vinum, quibus vita hæc sustentatur, dedit; ut fidem nobis faciant, de ijs, quæ ad vitam æternam tendunt: Scilicet eminentiora in nos collata beneficia actionibus & rebus maximè necessarijs & tamen obvijs nobis in memoriā revocavit. Hac enim formula loquendi nihil

Cap. II hil disertius, nihil significantius ad usum & fruitionem rei alicujus, aut actionem aliquam efficacissimè depingendam. Unde di-
a Ps. 69. 10 citur, *Zelum domus Dei Christum* [a] *exedisse*;
b Joh. 4. 34 *Christi* [b] *cibum esse, ut patris faciat voluntatem, & ejus opus perficiat; Deum suos ci-*
c Ps. 80. 6 *bare* [c] *pane lacrymarum; Impios populum Dei*
d Psa. 14. 4 *tanquam panem* [d] *comedere; Davidem cinere*
e Ps. 102. 9. *tanquam pane* [e] *vesci; impios fructum via-*
f Pro. 1. 31 *rum suarum* [f] *comedere; Ezekielem volumen* [g]
g Eze. 2. 8. *libri; & Johannem libellum* [h] *ab Angelo da-*
h Apoc. 10 10. *tum devorare; Ecclesiam Christianam divitias* [i]
i Es. 61. 6. *Gentium & arborem* [k] *vitæ in medio horti*
k Apoc. 2. *comedere.* Inde verò beneficia per Christum
l Mar. 7 28. ad Ecclesiam allata dicuntur *panis* [l] *filijs da-*
m Luc. 14. 15. *tus, non canibus projiciendus. Et Judæi faciunt mentionem de pane* [m] *in regno Dei comedendo, qui convivas beatos efficit:* Qua phrasi designatur beatitudo sempiterna. Et *Evange-*
n Es. 25. 6. *lium dicitur convivium* [n] *saginariorum & vini defæcati. Inde autem homo dicitur iniquita-*
o Joh. 15. 16. *tem* [o], *ut aquam, bibere; Jerusalem bibit* [p] *poculum indignationis è manu Domini; na-*
p Es. 51. 17. *tiones multæ bibunt* [q] *poculum calamitatum à*
q Jer. 25. *Deo illis missum; Christus ad bibendum* [r] *po-*
r Mat. 26. 39. *culum,* hoc est, ad mortem crucis *sese submittit; & prædicit Apostolos idem mortis pocu-*
s Mat. 20. 23. *lum* [s] *esse exhausturos: & Christus in magno die festivitatis, quosvis* [t] *sitientes ad se vocat,*
t Joh. 7. *ut bibant; & promittit omnibus in se credentibus flumina aquæ vivæ è ventre eorum manantia; & bibituris ex aqua, quam ipse dat, nunquam eos sitituros in æternum, sed habi-*

turos


turos fontem aqua vivæ in se salientis in vitam æternam.

His ita expositis constat, primo quod constans loquendi formula & tenor in re sacramentali is est; ut ostendat vinum & panem nobis tum signare, tum sigillare omnia illa beneficia Christi, quæ superius tot loquendi formulis erant expressa. 2. quod varietas & frequentia* phraseos (edendi & bibendi) in pluribus rebus usurpatæ, & elegantia & sublimitas ejus ea est, ut imprimis cavendum sit, ne obtorto collo cogamus Christi verba in sensum, qui cum nullo veteris Testamenti loco convenit: ut necesse sit Judæos & alios haud paucos expositione prorsus insolita & inaudita attonitos Christianismum rejicere, & abhorrere. 3. Cum Deus usitatis loquendi formulis, quas in veteri usurpavit Testamento, utatur etiam in Novo, & Judæos ad novum fœdus, & novi Testamenti intellectum observando tenorem sermonis illis familiarissimi quasi præparet, & Phraseos sacramentalis in Eucharistia explanationem Joh. 6. dilucidam adhibeat; graviter peccant, qui hac in re lites movent, & sensum inducunt sacræ scripturæ ignotissimum. 4. Cum sensus visionis olfactus, tactus, gustus cuivis in hac re (de qua illi summo jure sunt testes† adhibendi) testentur non fieri talem, qualem comminiscuntur quidam Christi in cœna dominica præsentiam, oportet heic omnes contentionum flammas extinguere. Quod si verò hos meos sensus falli (quod ego nentiquam sum

* *Consimiles loquendi formulæ in prophanis scriptoribus sæpe occurrunt.*

† *Quod in omnibus miraculis observatur.*

suum concessurus) dicant quidam: mirum tamen erit, sensus eosdem multorum mecum Christianorum millium (qui se fungos & truncos dici minimè gentium ferent) decipi. At præterea si auditus quintus ille sensus (ex quo dignoscuntur Christi oves; *nam Christi oves Christi vocem in scripturis audiunt*) accedat, et eandem veritatem suo calculo comprobet, res videri potest omnino extra omnem litis aleam posita. En vero Spiritum sanctum, *qui nos in omnem ducit veritatem*, in expositione hujus sacramenti aures personantem & animos informantem: quod *panis & fructus vitis manent in sacramento*: ut supra ex Christi & Sancti Pauli verbis ostensum est. Quare ego Deo veraci, non cuiquam mortali, qui pulvis est, non Petra; & qui de cathedra incassum jactat, cum suam, non Christi mentem orbi revelat, sum crediturus; Et verba, quibus Christus in institutione Eucharistiæ usus est, secundum constantem scripturarum tenorem in sacramentis alijs & loquendi formulis elegantioribus & nobilioribus & illarum expositionem usitatam & pacificè ab omnibus receptam, sum interpretaturus. Quod ut omnes cordati faciant, ex animo opto, & Deum suppliciter & oro obtestor. Minutiores alias disputationes de Sacramentis lubens prætereo.



CAP. XII.

Argumentum.

Longè maximus librorum & controversiarum numerus & incrementum facit Judæos & Atheos Christianam veritatem abhorrere aut negligere: & Indos multò magis deterrebit, qui viso sacro codice, & auditis pluribus ejus mandatis (ut ajunt) desperant ejus cognitionem. Deus enchiridion scripturarum, & epitomen sacræ historiæ tradendo nos docet modo, non copiæ studere, necessariam doctrinam, non quasvis minutias attendere; non multas controversias & libros scribere aut legere, sed eniti studiosius, ut Deum revereamur & ejus mandata observemus. Licet verò pro bellis scholasticis multa possint dici: tamen aliud potius bellum est Christianis, spirituale nimirum, suscipiendum. Veruntamen usus scholasticæ Theologiæ est laudabilis, si cum Linguarum, Artium, & Antiquitatis scientia conjungatur; distinctam rerum perceptionem & expositionem facilitet, sobriè & piè debitos sciendi limites observet, & caveat, ne juvenum animos (quæ in Academiis facit Pontificiis) litigandi consuetudine faciat obdurescere, candore

& ingenuitate vacare, et diverticulis veritatem eludere. Quòd si verò bella scholastica nimia illa et disputationes crebriores illa à Pontificiis agitata silerent, multò fructuosiùs Reges et Doctores ad Satanæ regnum abolendum, et Christi regnum promovendum consurgerent: et Deo (ut David in sua generatione in acquirendis imperii limitibus Israeli promissis sic) ad possessiones ultimarum terrarum, quæ Christo promittuntur, acquirendas inservirent.

Diutius me paucæ hæ controversiæ, quas exempli gratia in medium protuli, detinuerunt, quàm in primo ingressu operis cogitabam. Si ad plures, licet multò contractiori orationis filo progrederer, nescio quis dicendi modus in tanta congerie disputationum esset futurus. A primis enim temporibus sectatorum P. Lombardi, Ioh. Scoti, & Thom. Aquinatis, in hunc diem, patres filiis, professores discipulis tanquam ex traduce contentiones alii aliis in manus tradiderunt. Nec veteres illas solum, quæ etiam pauciores, & anteà parciùs erant disseminatæ, foverunt, sed & novas excuderunt & priùs inauditas; ad quas orbem (ut Æsculapii filii ad novorum quotannis morborū aspectum & malitiā stupent) necesse fuit stupere. Et nunc πολυγονεῖται ἡ νόσος καὶ πολλὴ γίνεται μανίας διαδοχὴ, *morbus seu pestis hæc multiplicem produxit sobolem, et inter quæstionistas longius spargitur et in varias familias sectari-*

orum

orum diffunditur. Scilicet nullum non Religionis caput controversiis ita gravatur, & quidam loci doctrinæ sacræ litibus non necessariis ita onerantur, & rixis, quas priora secula aut ignorarunt, aut sapienti consilio devitarunt; ut Judæi & Athæi horreant ad veritatem novi Testamenti accedere, nec priùs se nobiscum posse convenire, quàm nobis inter nos de doctrina inde deprompta conveniat, existimant. Et *Ethnici Indiæ* utriusque, (qui apertè dicunt se scientiam scripturarum divinarum propter molem & copiam earum desperare, sperare tamen, quod eorum filii harum cognitionem sint imbibituri) quid dicturi sunt, si intensissimus tot rixarum & jurgiorum de rebus sacris in Ecclesia Dei, præsertim in parte Pontificia, sonitus illorum aures verberarit? Necesse est ut dicant, nec se, nec patres, nec illorum filios tantum onus posse tollere aut tolerare: & si viderint immensum illum librorum numerum, quos Pontificiorum industria & otium contentionibus & disputationibus refersit; aut pauciores nostros, quos importunitas adversariorum nostrorum nobis extorsit, verendum erit, ne ab omni religionis cura resiliant & refugiant. Deus qui novit, quid nostra infirmitas & ignorantia, & horum temporum necessitas postularet, doctrinam sacram modico contentam volumine, & maximâ ex parte planè & dilucidè populo suo propositam nobis communicavit. Si verò quædam secreta sibi reservavit, grande scelus est, hæc velle indagare

CAP. 12

1 Sam 6. & enarrare: ut *Bethſhemitis fuit, Arcam Dei*
19. *inſpicere, & Adamo vetitam arborem guſtare.*
Gen. 3. Si verò Deus quædam in ſcripturis obiter tantum tetigit, & paucis abſolvit, indicat nobis, illis in capitibus pauca debere ſufficere, & horum guſtandam, non ingurgitandam ſcientiam: ſi quædam in Epitomen contraxit, quæ Spiritus ejus plenitudo (materiâ ipſâ exſuperante) poterat pluribus expoſuiſſe; ſuo nos exemplo jubet Deus, ut modum teneamus & copiæ non indulgeamus. Olim certè graviter in Deum hominesque peccarunt, qui verbum Dei omnibus divino conſilio donatum, ut inde viam ſalutis æternæ addiſcerent, abſtulerunt: aut ſaltem in lingua vernacula noluerunt perlegi & intelligi: At certè jam non multò leviùs peccant, qui ſcripruras ita enarrant ut paucas illarum periodos volumine expoſitionum onerent, & controverſiarum cumulo obſcurent; ut vita tota, non alicujus è populo, ſed ſtudioſi alicujus jam in paucos contracta annos, dicam an dies, vix ſufficiat ad exactam paginæ unius aut alterius contemplationem & enodationem. Immo haud ſcio, an vita Methuſalæ par ſit, ad totius ſcripturæ explicationes percurrendas, ſi prolixitati adeo in reliquis ſacræ doctrinæ capitibus indulgeatur. Nam facile eſt, ubi nihil litium eſt, lites ſerere: & obtundere nimia copia auditorem ut dicat: * πολλά με διδάσκεις, ὅπως ἀκούων πολλά, μηδὲ ἓν μάθω, *multa mihi enarras, ut multa audiens, ne unum quidem ediſcam.* Aut ut alius

* *Philem. in Stobæo. S. 38.*

quidam

quidam rerum multiplicitate ab ardeliono lassus; † ἐν ἀντιθέσει πολλὰ δίδως ἀντὶ ἁπλοῦ, καὶ περιερχόμενος ἀπέραντον ὁδὸν, &c. *unum rogatus multa respondes, cum simplex responsio sufficeret & infinita circuitione me multo facis incertiorem, quàm accepisti.* Nulla certè est scientia humana tam arctis & modicis circumscripta limitibus; quin si concedatur omnia coacervare, minutias quasque & nodos universos, & recessus ejus abditiores exquisitiùs perlustrare, excrescet in infinitum ejus commentatio: atque hinc est, quod qui Geometriæ aut Musices artem & canonas & usus eorum tradiderunt, non quæ possunt omnia persequantur, & omnes omnino conclusiones à principiis & propositionibus suis producendas demonstrent: sed fundamenta quædam, & præcepta generalia methodicè concinnent, quibus imbibitis, ad usum sese convertit artifex. Sic Deus noster prudentiam ejusmodi artificum infinitis partibus vincens, ita sacram doctrinam, & necessaria omnia, quæ à nobis sunt discenda, delineavit, & sacro volumine descripsit, ut statim à teneris unguiculis quilibet & ad credendum & ad agendum * sese accingat: nec in contemplatione, more quorundam monachorum, pretiosum totius vitæ tempus insumat. Gentes sanè, quoniam veritatis sacræ fundamenta necessaria, indubitata & immobilia non habebant, ingenia † sua miserè torserunt, in tenebris palparunt, *omnia controversiis & studiis sectarum* oppositarum incerta reddiderunt:

† Plat. in Theæt.

* Ἃ δεῖ μαθόντας ποιεῖν ταῦτα ποιοῦντες μανθάνομεν. *Quæ oportet, cum didicimus, agere, ea agendo sunt discenda ut Arist. verissime: Eth. 2. 1.*

† *Hinc nihil sciri veteres dixerunt. Tul. Acad. quæst. lib. 1*

sunt: & *felicem eum pronuntiarunt, cui tandem* " *in senectute contigit, rectas opiniones consequi*; quam sanè felicitatem miserrimi illi & cæci nunquam sunt assequuti. At tandem voluit Deus, ut Christus illis lux exoriretur, & veritatis radiis tenebras fugaret: ne, ut antea, quovis doctrinæ vento Christiani circumferrentur, sed in primis annis, & vitæ ferè aurora veritatem contemplarentur necessariam, & ad rectè agendum animos converterent. Quare cùm gentes adhuc quædam supersint sine Deo, sine Christo: absit ut nos ab Evangelii amore eos verbosioribus rixis & grandioribus voluminibus nostris terreamus: aut etiam Christianos quosdam reddamus incertos & animi dubios, cui se parti adjungant, quam capessant religionem: & si meliorem eligant partem, longis verborum & librorum ambagibus, & quæstionibus non necessariis lassemus, excruciemus, enecemus. *Potest certè oratio utilis & de rebus necessariis habita* * γίνεται ἀσαφὴς διὰ τὸ μῆκος *prolixitate reddi obscura*. Eique vere nimis auditor potest respondere, Τὰ μὲν πρώτως λεχθέντα ἐπιλελῆσθαι, τὰ δὲ ὕστατα μὴ συνιέναι, *Quæ in initio dixisti oblitus sum, quæ in fine orationis, non intellexi*. Philosophus ille, quem meritò magni facimus, consilium nobis suggessit utilissimum; πάσας, " inquiens, τὰς δόξας ἐξετάζειν ματαιότερον, *omnes hominum opiniones discutere non ferendæ fore vanitatis*. Malè igitur operam collocant, qui ejus artibus exercitati & armis instructi leviores & inutiles quæstiones

" Tull.

* Arist. Rhet. lib. 2.

† Herodot. in Thalia.

" Arist. Ethic. 1. 2.

nes magno argumentorum impetu & longo studio, admonitionis istius gravissimæ obliti, dissentiunt; committúntque, ut momenta illis deesse videantur, qui tam minutulas controversias, & scientiæ præsegmina grandi & indefesso molimine elaborant. *Ita ut sint gallis* * *in theatrum productis simillimi, qui cum pugnæ nulla subsit causa, tamen ad ultimum vitæ spiritum depugnant*, & ut aliorum pascant oculos certamini intermoriuntur. Siquidem ij, quibus ea mens est, † τὰ ἔργα ὐ τηρῶντες μιμῶνται, τὰ δὲ πάρεργα ζηλῶντες, ἐκθεατρίζουσι τὴν ἑαυτῶν ἄνοιαν", *non studentes officia debita præstare, sed devia sectantes, tanquam in theatro suam ipsorum insipientiam prostituunt deridendam.* Vulgare quidem & mediocre quodvis ingenium artifices quoslibet verbosiores, contentiosiores & πολυπραγμονῶντας curiosè multa ventilantes suspectos habet, & tanto censet eos ineptiores, & ad officii sui munera negligentiores, quantò sunt verborum & concertationum profusiores. Non feret Architectus servos suos sermones miscentes & nimis altercantes de juncturis, contignationibus, clavis, trabibus; & novas subinde quæstiones & struendi formas disquirentes. Hæc omnia meditata satis, & ab ipso architecto sunt excogitata: servorum autem manus ad ædificandum, non lingua ad otiosè disputandum conducta est. Eodem modo sunt necessaria omnia à Deo, quæ ad Templi ejus ædificationem spectant sapientissimè provisa & disposita: multa nobis credenda, multa agenda

* τοῖς ψυχομαχοῦσι τῶν ἐισαγομένων ὀρνίθων, &c. *Polyb. fragment.*

† *Polyb. fragment. ex lib. 16.*

CAP. 12

ad Ecclesiæ ſtructuram & conſummationem reliquit; pauca admodum, ne altercando magnum illud opus impediretur, diſputanda. Quare noſtram cum Deo reconciliationem & pacem inter homines, res imprimis neceſſarias, ſtudeamus nervis & conatibus intentioribus promovere: ne defatigati ſtudio τῶν παρέργων ἐν τοῖς ἀναγκαίοις *eorum quæ præter noſtrum ſunt inſtitutum, in rebus neceſſariis* (quòd uſu venire ſolet) *deficiamus*. Rectè

Ariſt. Eth. 3. 10. dictum fuit, ὁρίζεται ἕκαστον τῷ τέλει, hoc eſt, *actiones noſtræ et earum proceſſus optimè per finem, cui inſerviunt, definiuntur.* Jam verò ſi finis cognitionis noſtræ ſit ſalus æterna, & pacifica fratrum noſtrorum ad felicitatem aggregatio: ſi verò doctrina in ſcripturis à Spiritu ſancto tradita ad illum ſtatum glorioſiſſimum obtinendum, quod ſinè omni controverſia veriſſimè efficit, ſufficiat: cur nos pro non neceſſaria cognitione nimis deſudamus, litibus nos innumeris implicamus, & ſpiritus & vires noſtras in actione exercendas in diſquiſitionibus minus fructuoſis & neceſſarijs exhaurimus? Certè ſi ulla ſcientia & ad vanitatem & ſpiritus angorem tendat: illi proculdubio aſſimulanda & conjungenda eſt hæc litigandi & controvertendi curioſior cognitio. Si verò, ut Solomon, *nullus*

Eccleſ. 12. 12. *ſit finis multorum librorum aut legendi aut ſcribendi*: quoniam non neceſſario opere carnem & vires defatigant; & ſi μέγα βιβλίον ἴσον

Call. μεγάλῳ κακῷ, *liber magnus malo grandi affinis* ſit, ut verè ſenſit Ethnicus; omiſſa multitudine

dine controversiarum minus necessariarum, & disputationibus superfluis, quas multoties sacra pagina nobis fugiendas inculcat, quasi cum discipulis aut obtusi & tardioris ingenij, aut animi præfractioris sibi res esset; summam rerum omnium attendamus. *DEUM ipsum revereamur, & præcepta ejus cætera*, quæ omnia in charitate tanquam in centro concurrunt, observemus.

At heic forsan aliquis; Itané, inquiet, se res habet? nullanè admittenda sunt bella scholastica? segnescet nobilis ille genius & ingenium quorundam, quibus satiùs negotium quàm otium, satiùs controversiarum prælia, quam studia pacatiora committuntur. Rubigo ferrum, & quies animum quorundam nisi crebro disceptationum motu & exercitatione atterantur, inficient. *Carthago,* * *æmula Romæ, Romanam exacuit fortitudinem: & Athenas* † *servavit, ἡ τῶν ῥητόρων διχοστασία, oratorum dissensio.* Habeat igitur Ecclesia hujusmodi bella, quæ eam ad vigilantiam exsuscitent. Resp. Quamvis bella inutilium controversiarum sileant, aliud tamen est Ecclesiæ bellum, cujus arma memorantur Eph. 6. Et *nunquam bella bonis, nusquam discrimina desunt:* semen serpentis nunquam sinet somnum Christianis pijs obrepere: ut minùs opus sit controversias non necessarias inter Christianos excitari, quibus à dormiendo in utramque aurem detineantur. Quòd si verò bella Romanis & seditio Rhetorum profuit Athenis: 1. hoc non vi illis insita, sed casu factum

* *Luc. Flor.*

† *Plutar.*

Resp.

factum fuit: nam bella & seditiones proprio motu urbes solent pessumdare, æraria exhaurire, & oculos multorum lacrymis opplere. 2. vix quispiam, nisi potestates tyrannicæ, ut illa Babylonica & Romana & cæteræ ejusmodi, ex aquis bellico motu turbidis lucrantur. 3. *multo paratior tum urbibus, tum politiis pax via est* ad felicitatem, quàm bellum; & concordia, qualis erat Christianorum * primitivorum ad Evangelium promovendum, quàm discordia & contentio. Si verò bellum ideo laudetur, quod illud pax sequitur: eandem laudem ægritudo & ignorantia merebuntur, quas sanitas & scientia à tergo sequuntur. Nec certè sua bello & controversiis deneganda sunt encomia, si post tot orbis tumultus & prælia, post tot disputationes & animorum dissidia, junctis † manibus, & quietis affectionibus diu permanens inter omnes pax firmetur: ut constet ideo orbem disputasse & bellasse; ut jam tandem in pace vivatur. At inquiunt, scholarum disceptationes veritati idem sunt, quod ventus arboribus. Ut enim *solidatur flatibus arbor*, sic litibus scholasticis veritas. Utraque agitatione persimili altiores & firmiores agit radices. Et solet veritas mutuo argumentorum conflictu, ut ignis attritu silicum elici. Resp. Certè nullum melius Gentibus, qui Dei verbum rejecerunt fuit ignorantiæ remedium, quàm vi rationis & argumentorum suas ventilare opiniones: in quibus multi fuerunt Socrates, Aristoteles, & alii inter eos cordatiores:

* *Christiani, Ecclesiis pacem habentis, multiplicati sunt.* Acts 9.31.

† Μαρτυροῦ τὰ γεγηρμένα τοῖς λόγοις. *Quæ facimus de iis quæ loquimur, testantur.* Arist. Pol. 7.14.

Repl.

Resp.

tiores: & sanè multùm in rebus naturalibus, aliquid in moralibus effecerint. At in rebus sacris viam illo suo baculo tanquam cæci exploraruut, & quandoque in foveam errorum imprudentes sese dederunt pronos. Sed nos *firmiorem habemus sermonem propheticum, & Spiritus sancti lumen*, in omni necessaria veritate; quæ divinæ & indubitatæ est certitudinis, nec nostrorum argumentorum indiget solidatione. Hoc cum non possit non concedi: statim regeritur. At veritas discentium animos altiùs penetrat, cum mutuis argumentis pro & contra agitatur. Atque ideirco juvenibus in scholis exercitatio disputandi utilis est: & eos ad veritatis defensionem & expositionem præparat. Resp. Tenellorum ingeniorum educatio magnam proculdubio exposcit curam & sedulitatem: *nam diu* [a] *servat odorem testa, quo semel imbuitur*: & cum [b] *οἰκεῖον τοι ταῖς πρώταις ἀκοαῖς penitius imbibunt quæ primo in loco audiunt plerunq; omnes*, multò magis cerea est juvenum indoles, & medullitùs hærent, quæ primis annis didicerunt. Deus veró sæpius de puerorum educatione mentionem faciens, noluit eos rixis & disputationibus scholasticis initiari: sed exacui à parentibus seu magistris *ad timorem Domini & rerum sacrarum cognitionem sæpius inculcando præcepta & mandata Dei, cum domi sedent, cum ambulant per viam; cum cubant, cum mane surgunt: manibus tanquam signa alligando; ponendo pro frontalibus inter eorum oculos; & postibus & domorum portis inscribendo.*

2 Pet. 1. 19.

Repl.

Resp.

a *Horat.*

b *πάντες γὰρ στέργομεν τὰ πρῶτα λεχθέντα. Capimur omnes eorum amore, quæ primò audimus. Arist. Polit.* 7. 17.

Deut 6. 7, 8. & 11. 19, 20.

Cap. 12

d Psal. 78. Exod. 12. 26. & 13. 8. & 14. Deut. 6. 20.

inscribendo. Cum vero filij [d] *à parentibus sacram doctrinam inquirebant; parentes oportuit Testimonium Jacobo, & legem Israeli commissam non celare, sed filiis suis enarrare, ut generationibus subsecuturis propagaretur.* Nunquam vero aut præcepto injunxit Deus; aut praxis scholarum propheticarum nobis frequentem & vehementem hunc disputandi cursum nunc in usu in Academiis papisticis commendavit. Cum igitur multum sit à teneris assuescere; & *consuetudo* [e] *prava animum, ut aer insalubrior corpus & humores, sensim & sine sensu inficiat*; enitendum est, ut ingenia tenella [f] potius ad modestiam & lenitatem & necessariam doctrinam à doctoribus candidè accipiendam formentur: quàm ad lites & jurgia scholarũ nimia & verbosiora. Comperiemus enim, quòd sicut † ἀκράτως τῇ γυμνασικῇ χρησάμενοι γίνονται τοῦ δέοντος ἀγριώτεροι, *impensiùs in arte gladiatoria exercitati, evadunt nimis feri*: sic qui litigiis & disputationibus nimis multum in tenera ætate fuerunt assueti, etiam in mala causa evadunt obduratiores & opinionum suarum tenaciores: non quòd plus rationis, sed quòd minus habens frontis & ingenuitatis. Atque hinc est quod quidam in contentionibus agitandis adulti, persuasissimum ducunt, desultatoria levitate nihil ignobilius; & constantia in suis opinionibus nihil viro dignius. Atque idcirco *quidlibet quantum fieri potest, in suo permanet statu & conditione*: hoc enim perfectionis esse & haberé quiddam Deo simile: *qui nullam* [g] *admittit*

e Plat. rep. 3.

f *Acui ingenia adolescentum volo, nolo corroborari impudentiam. Tul.*

† Plat. de rep. lib. 3.

* Plat. de rep. lib. 2.

g Jacob. 1. 17.

mittit mutationis umbram: existimant igitur sibi æquè esse opprobrio ac dedecori de sua sententia vel tantillum deflectere, ac Gentibus [h] fuit τὸ πάτριον ἦθος παραβαίνειν, *Gentis suæ & patriæ consuetudinem transgredi*, aut militi desertis propriis vexillis, ad hostium partes transfugere. At certè hæc secum non recta reputant via. Nam si obfirmata hæc mens & ingenium Gentibus contigisset, nobísque per multas generationes fuisset transmissa: mansissent utique patres nostri, maneremus & nos in Ethnicismo, nec ad partes Christianorum nos recepissemus. Postquam verò in Christi gregem sumus ascripti, quis eò perfectionis ascendit, ut nihil opus sit (quód cujuslibet sapientis est) [i] κινεῖν τὰ μὴ καλῶς ἔχοντα, *movere & mutare, quæ non satis rectè instituit*. Deus qui nescius est mutandi, ut nos nostri admoneat officij, ἀνθρωποπάθως *more hominum* aliquando loquitur, & facti se dicit pœnitere, ut nos doceat, nobis facile esse errare & labi; & errantibus pœnitendi & saniora consilia admittendi locum esse. Est igitur absurda quædam mentis obduratio non constantia, in eadem sententia permansio: cum opiniones nostræ pacem publicam interturbant, aut falsis & infirmis nituntur fundamentis. Deinde ne nimis disputationum amore & admiratione capiamur, seriò perpendamus: quód lux scripturarum per aliquot jam annos piorum studiis accensa multum invaluit, & sacram veritatem plurimum promovit: at controversiarum clamores à Petri Lombardi discipulis excitati:

b Arist. Rhet. ad Alexand. c. 3.

i Isoc. Euag.

excitati, & in scholis Scotistarum & Thomistarum propagati, tantum absunt à veritate in rebus dubiis extundenda, ut controversiis veteribus novas accumularint: nec in his studiis unquam deerit falsis opinionibus, quod pro se dicant, omnia adeo sunt in hac officina, diverticulorum, latibulorum, & diversionum plena. Immo qui veris vincuntur (si libeat contrà ire) ab ipso recipiunt *vires animúmque casu*; nec quisquam eos persuadebit, licet persuaserit. Nam * ἀντιλόγικοι πάντα φύρειν ἐθέλουσι, *contradictioni dediti omnia miscere & confundere volunt, ne in errore deprehendantur*: tantique suam faciunt existimationem, ut Deo veritatis alicujus gloriam potius denegari, quàm vel tantillũ propriæ suæ famæ † velint detrahi. Quid igitur faciendum? Contenti simus Christo doctore nostro in omnibus doctrinis necessariis; & apertis scripturis & conclusionibus facili & perspicua deductione inde erutis acquiescamus. Deinde in opinionibus minus necessariis, & non expressè & liquidò ex Dei verbo conclusis, discamus modestè, sobriè, pacificè, fraternè alii cum aliis communicare: & sapere ad sobrietatem. Sciamus quædam esse Dei arcana: [a] & τὸ ἄγνωστον ἐπιστητὸν μόνον, ὅτι ἄγνωστον, *de rebus, quæ sciri nequeunt, discamus tantum, sciri non posse*. Heic igitur à curiosâ desistamus inquisitione, non solum, quia [b] ἐὰν ἀδυνάτῳ ἐντύχωσιν, δεῖ ἀφίστασθαι, *si in quicquam quod fieri nequit incidimus, oportet abstinere manum*, sed quia Deus hæc [c] βάθη *profunda* jussit

* Plat. in Phæd.

† Ἡ ἐκ τοῦ κρατεῖσθαι τῶν ἐναντίων δόξα φιλονεικίας τοῦ κοινοῦ πᾶσι λυσιτελοῦς. *Gloria ex adversariis devictis pullulans, præfertur communi Ecclesiæ commodo.* Basil. Epist. de Eccles. dissidiis.

a Arist. Rhet. 2. 23

b Arist. Eth. 3. 5.

c Deut. 29. 29.

jussit sibi relinquenda. Ut *judicia*[d] *Dei*, sic & quædam ejus opera in hominum conversione & mundi administratione *sunt abyssus multa.* Sciamus etiam alia quædam esse ambigua & multis dubitationibus involuta. In his difficile erit veritatem assequi; quia[f] ἡ ἀλήθεια καὶ τὸ ὅμοιον τῇ ἀληθείᾳ, *veritas & verisimile haud facile distinguuntur.* Hæc igitur *satis erit*[g] παχύλως καὶ ὡς ἡ ὕλη ὑποκειμένη *non exactè sed pro subjecta materia ratione tractare*: atque heic more senum (qui longo usu edocti quam facile sit decipi, cautiùs loquuntur) sæpe [h]τάχα καὶ ἴσως *forsan* interponere: & in his rebus sine aliqua mentis exacerbatione, & amicitiæ Christianæ interruptione, alijs, ut à nobis dissentiant, permittere. Si quando verò in religionis capitibus tractandis nobis res sit cum ijs, qui fide infirmi sunt; hi instituendi sunt, *ut Deus parentes jubet filios informare*: &, ut Paulus, *ne eos assumamus ad altercationes disceptationum*; nec dubijs & litigiosis, quas Deus vetuit, quæstionibus eorum animos torqueamus. Est tamen suus studijs scholasticis usus valde laudabilis, & disputationes Academicæ importunitate & improbitate horum temporum, in quibus multi sunt ad errores & privatas opiniones disseminandas nimis seduli, multum Ecclesiæ prosunt. Nam si liceat enses, hastas, bombardas & reliqua ejusmodi arma procudere, & ad justam nostram & rerum nostrarum defensionem parare; non autem ut in alios injusto, avido, furioso animo & impetu grassemur: sic subsidia

d Psal. 36. 6. Job. 38. & 39.

f *Aristot. Rhet.* 1. 1.

g *Arist. Ethic.* 1.

h *Arist. Rhet.* 2. 13.

Rom. 14. 1

dia artium & scholarum ad justam veritatis defensionem non ad tumultuum & rixarum flammas accendendas licet adhibere. Rejicienda igitur sunt studia illa Sectatorum P. Lombardi, Joh. Scoti, & Thom. Aquinatis quæ omnia sine discrimine in quæstionem vocarunt, & nullum fecerunt litigandi modum; ut & illa Theologastrorum, quos Erasmus † Roterodamus, & * Thomas Morus Eques, *utpote totos in argumentando & distinguendo, sine omni Scriptura, quæ fons est omnis necessariæ veritatis, notitia, meritò criminatur.* Quum nimius disputandi ardor & contentionum flammæ à discipulis accensæ efficiant opiniones Doctorum suorum multò magis diffidere, quam reverà diffident: ut qui † à Platone & Aristotele stabant, nimio controversiarum calore, litium, inter magistros suos, cumulum plus æquo & justo adauxerunt. Sciendum tamen est, quod studia scholastica conjuncta cum linguarum sacrarum, artium liberalium & antiquitatis peritia, & ad sacrarum scripturarum usû sobriè, prudenter & piè adhibita, in Ecclesia tum ad distinctam rerum perceptionem, tum ad hominum animos sine confusione informandos multum conducunt. Præsertim si disputator putatoris partes verè agat, surculos & ramos luxuriantes amputet; inutiles plantas, frutices, arbores in schola nascentes radicitus exstirpet. Nam tum priora secula nescierunt, tum Spiritus Sanctus sæpius abjiciendas monet, quæ jam orbem excruciant, stultas

† *In annot. in Hieron.*
* *In lib. de Theologast.*

† *Isocr. cle. in Phot.*

tas

tas quæstiones, vanas disputationes & oppositiones scientiæ falsò sic nominatæ. Quod si verò quisquam contendat satius multo fuisse lites & controversias in ecclesia olim in ipso ovo oppressisse & contudisse: nunc verò eó ventum esse, ut exigua aut nulla spes sit tot & tantas flammas controversiarum extinguendi: Et præterea asserat *Christum venisse immissurum non pacem sed gladium; & facturum ut diffideat filius à patre suo, filia à matre, nurus à socru sua; ut inimici hominis sint domestici ejus.* Certum est hæc contra Christi mentem torqueri. Nam *Christus pacem orbi attulit; & multoties se in terra pacem, inter homines benevolentiam firmare indicat; lites autem satanæ † malitiâ & hominum culpa & vitio, ad pacem Christianis à Deo datam interturbandam prorupisse.* Nam in Ecclesiæ primitivæ primordiis fuere hinc Judæi legis & ceremoniarum suarum zelotæ, inde Gentes rerum mundanarum illecebris irretitæ, & imperandi ardore inflammatæ, ut immensi esset laboris pacem Evangelicâ propagare. At jam cum videant, aut jure possint videre primo Judæi se nimis diu contra stimulum calcitrasse; & deinde orbis Monarchæ se oportere *coronas suas ante thronum Christi, agni pro hominum salute occisi, abjicere, & nutricios ecclesiæ fieri; & non tam mundi imperia (cum omnia sub sole vana esse senserit sapientiâ omnibus præferendus Solomon) quàm Regnum Christi, quod in æternum perstabit, promovere:* jure sperandum est orbem

Obj.
Mat. 10. 34.
Resp.
* Luc. 2. 14.
Pacem dat Ecclesiis.
Rom. 1. 7.
1 Cor. 1. 3.
† *Vid. cap.* 9.
Apoc. 4.
Is. 49. 23
Psal. 72. 10.

Cap.12 jam hinc bellis, inde ſcholarum litigiis laſſum, anhelum, & attritum, pacem omnimodam votis & animis ardentiſſimis expetiturum. Etſi enim fieri non poſſit, quin ſint inimicitiæ inter ſemen mulieris & ſerpentis, oportet tamen Eccleſiæ membra unanimiter & animis pacificis inter ſe conſpirare, pacem mutuam amplecti, Satanæ regnum demoliri, & Eccleſiæ limites ad Jndos in ultimis terrarum finibus extendere. *Has poſſeſſiones Chriſto promiſit Deus:* At vix unquam de facto, ejus ſubjicientur ſceptro, niſi viri in Eccleſia Dei conſpicui ſuo tempore & generatione, *ut David,* τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ ὑπηρετῶσιν *ad Dei conſilium promovendum prompta ſint inſtrumenta.* Cum verò veritatis lux patrum noſtrorum ſtudio multum, immo opinione magis, ultimis his temporibus illuxerit & reſplenduerit; niſi illis nos ſimus ignaviores, & ad benè de Eccleſia merendum tardiores; veritas proculdubio poſthac multo latiùs ſuos radios eſt extenſura, & tenebras è remotioribus terræ angulis, ſi modo ſopitis litibus & unita opera hanc nobis metam (Chriſti juſſu) proponimus, expulſura.

Pſal.2.

Acts 13. 36.

Cap.

Cap. XIII.

Argumentum.

5. *Omnis in erroribus obfirmatio cavenda est. Hoc minimè fuit observatum: quia jam post multas disputationes & obtestationes sententiæ contradictoria hinc inde propugnantur.* 6. *Imitanda sunt prima mundi tempora in quibus nulli in Ecclesia aut pauci admodum fuere sectarii & schismatici; aut qui quæstiones jam controversas in scholis Patriarcharum, Sacerdotum, Prophetarum fusiùs & stomachosiùs agitarunt. Deinde imitandi sunt plurimi Dei servi, qui licèt in errores lapsi fuerint à Deo tamen & ejus nuntijs revocati, statim mentem meliorem induerunt.* 7. *Consideranda est Dei bonitas, qui filium suum, verbum, sacramenta nobis dedit, & vult, ut omnes nationes & populi lætum reconciliationis nuntium audiant; ut ad Christi regnum æternum, quod mundana omnia regna diffringet, ultimi terrarum fines vocentur. Ut verò Dei consilio hac in re subserviamus, is nos tum beneficijs tum pœnis hujus & futuræ vitæ propositis excitat; Et conversione multorum hominum obduratorum in primitivis temporibus, & promissione sua præsentiæ in hoc opere ad mundi usque consummationem confirmat; & cantilenâ redemptorum ex omni populo & natione, demonstrat, quis hujusce conatus & laboris finis sit futurus.*

PLuribus jam oſtendimus neceſſariam doctrinam Dei in ſacris ſcripturis expoſitam, nobis ſumma cura et ſtudio eſſe ediſcendam; & quanta cautione opus ſit in illa doctrina indaganda, quæ non expreſſè in verbo Dei continetur; ſed hominum meditatione & argumentationibus eruitur. Ne artium ope, cujus laudabilis & legitimus uſus eſt, abutamur; ne inutiles, & rixoſas quæſtiones, quales Spiritus ſanctus vetuit, & Eccleſia Dei ante Chriſtum nunquam agitavit, ventilemus. Ex quibus quæſtionibus quaſdam in medium produximus, quæ cum innumeris ejuſdem farinæ contentioſè & ſtomachoſè admodum jam diſputatæ, Judæorum & Atheorum indurationem adaugent, Indorum & aliorum converſionem remorantur, & Eccleſiæ Chriſtianæ gloriam & ſplendorem à Deo indultum (quicquid contrà prætenditur) obſcurant. Hæc verò fuſiùs tractavimus, quoniam turbas innumeras in Eccleſia excitarunt; & adhuc pacem noſtram cum Deo, & pacem inter nos invicem (ſi quid aliud) vel maximè, idque noſtra culpa impediunt. Jam quæ reſtant attexenda, aggrediamur.

Quinto verò in loco perpendatur, quàm grave peccatum ſit, quàm Deo exoſum & paci Chriſtianæ detrimentoſum mentis in errore obfirmatio, & ſuperbus & ingratus conſilij melioris contemptus. Certè longanimitas divina mira eſt, & miſericordia ejus pœnitentibus & peccatorum gravitatem & molem

lem sentientibus semper præsto: at pertinacem & contumacem in erroribus & peccatis obdurationem ferre non potest. Cum enim Cainitæ & vetus mundus Noam justitiæ præconem & Deum ad resipiscentiam, Arcæ fabricâ & denuntiatione indignationis suæ, post annos 120. vocantem noluerunt audire: Deus generali diluvio omnes sustulit. Cum Israelitæ & postea Judæi prophetas à Deo crebrò missos, et verbum Domini sæpiùs iteratum, ad eos à vijs impijs revocandos, neglexerant, & obnixiùs animos & aures sacris concionibus & admonitionibus occluserant; Deus in manus hostium eos crudeliter tractandos & puniendos tradidit. Cum Judæi paulo ante & post Christi incarnationem schismatis & sectis abundarunt, errores plurimos pertinaciter propugnarunt, meliore Christi & Apostolorum doctrina noluerunt à mentis suæ depravatione avocari, sed â malo ad pejus progressi sunt; tandem cæcitati suæ relicti, quæ ad pacem suam pertinebant, nescierunt, completa mensura iniquitatis patrum suorum omnigenis miserijs erant expositi, sub quibus etiamnum gemunt & condolent. Hæc & similia Dei judicia in contumaces inflicta jure possunt & debent omnes Ecclesias admonere, ut obfirmationem in errore & peccatis omni animi contentione & celeritate fugiant. At quæ tandem Ecclesia est in erroribus pertinax, ad salubres adhortationes & meliora consilia aures occludit, & surda est? Quælibet Ecclesia etiam corruptissima

pro

Cap. 13

pro ſe prodit, & ad judicij tribunal cauſam ſuam defenſura ſeſe ſiſtit. At quicquid dicunt, nullo modo crimen objectum ab omnibus poteſt amoveri. Neceſſe eſt ut obdurationis peccatum & contumacia inſignis verè nimis alicui Eccleſiæ, aut multis ejuſdem filijs intentetur. Nam cum tot olim prodierint volumina pluribus fœta controverſijs, quàm piſces ovis; cùm tot indies prodeant, in quibus ſæpe crimen hæreſeos mutuó objicitur; & cum veritas ab utraque parte ſtare non poſſit; neceſſe eſt ut pars hæc aut illa obfirmatiùs veritati nolit cedere, ſed obnixè obluctetur. Si contrarias ſententias non defendant, cur tantis clamoribus ſe & orbem obtundunt, tot voluminibus lectorum patientiam laſſant & deludunt? Si verò opiniones contradictoriè etiam oppoſitas, quæ ſimul veræ eſſe nequeunt, propugnant; altera pars rea eſt contumaciæ & intolerandæ contra multas admonitiones, obteſtationes, argumentationes, diſputationes pertinaciæ. Neceſſe eſt ut altera pars ſuo judicio ſapiens ſibi videatur & * μηδὲν ἔχουσα λέγειν προσποιῆ τι λέγειν, *nihil habens, quod ſolidè dicat, fingat ſe aliquid dicere*, & ſic evadat † ἰσχυρογνώμων καὶ ἰδιογνώμων *in privatis ſuis opinionibus abſurdè pertinax.* Certè exitus bellorum ſcholaſticorum, quæ lingua & penna geruntur, non tam manifeſtò, cui victoria debeatur, indicat; ut finis bellorum, ubi gladius & haſta ſuas agunt partes, & altera pars aut in campo occumbens, aut fuga ſaluti ſuæ conſulens

* *Ariſt. Rhet.* 3. 5.

† *Ariſt. Eth.* *ic.* 7. 9.

sulens antagonistis palmam victoriæ relinquit. Nam in bellis & rixis scholarum, dum mens est ad litigandum prompta, *facile est* * λόγους τινὰς ἐρευνᾷν καὶ οὐ πάνυ εὐθέως θέλειν πείθεσθαι *rationes quasdam expiscari, et nolle facile alijs cedere*; facile est verba verbis retũdere, in mala causa obstrepere, & in non necessarijs litibus *cũ Salmoneo obtonare*; *facile est* " ἀπορίαν ἀπορίᾳ λύειν * *dubium dubio solvere, & fuco aliquo errores oblinere.* At diu *incurata pudor malus ulcera celare nequit : nam vitreus est error, & pellucebit :* aut si hominum oculos fugiat, & nactus artificem mirifice ad sua furta obtegenda ingeniosum, qui " λόγον φέρει εἰς πίστιν πόλλης προσδεόμενον πίστεως *rationes profert ad fidem faciendam indignas fide, & alijs rationibus probandas*, multorum tamen applausum suis artibus lucretur, & (ut Pharisæi *) *populi mentes, quo velit, inflectat* ; at Dei omniscientiam nequit effugere. Quasque ejus latebras & subterfugia penetrabit ª ἔκδικον ὄμμα *oculus divinus scelerum vindex* & hæresium. *Si quisquam* ᵇ *benedicat sibi in corde suo dicens, Pax mihi erit, licet ambulavero ex animi mei sententia, & addam siti ebrietatem, aut si errori* addam mentis obfirmationem. *Huic Jehova non ignoscet, sed fumante ira & zelo in illum excandescet, delebitque nomen ejus* (quæ omnia experti sunt * Kore cum socijs ejus, & Pharisæi) *sub cœlis.* Satius igitur multò est, dum tempus datur, resipiscere, & mentem meliorem induere, quam † ἐν τῇ ἀντιλογίᾳ τοῦ Κορὲ ἀπολέσθαι *in contradictione Koræ perire,*

* *Ut Cebes apud Platon. in Phæd.*

" *Ægypt. sacerd. l. 7. c. 17. Theophyl. Histor.*

* *Iosephus Antiq. 13.*

a *Homerus*

b Deut 29. 19. 20.

* *Ut et ij, qui introduxerunt* αἱρέσεις ἀπωλείας, *quibus obvenit* ταχινὴ ἀπώλεια. 2. Pet. 2.

CAP. 13

Mat. 23. 38. *rire, aut domum suam in obduratione Pharisaica desolationi exponere.* Græcis quidem ingenium erat duriusculum, qui *in certaminibus* Plutarch. de Poet. aud *victas dare manus, & misericordiam adversarij obtestari duxerunt dedecori, & plagis contusi potius mori voluerunt.* At si illi nihil pensi habebant, de corpore suo quid fieret; Chri- Mat. 16. 26, stianum certè decet *animam suam pluris quàm totum mundum facere*, & prospicere; ne aut ipse sua pertinacia pereat, aut alios dum vivit, doctrinâ suâ, aut post mortem, scriptis in eandem perditionis foveam trahat. Nam quid multis in ore sæpius est, et quid plus ad obstinatam * errorum propugnationem exacuit? quam illud; Defendimus, inquiunt, quod à viris quibusdam, aut à majoribus nostris eruditissimis, pietate conspicuis, veritatis studiosissimis accepimus, nec quẽ ferre possumus, ut φίλων προδόται *amicorum proditores* censeamur, & ab eorum castris simus transfugæ. Quòd majores suos revereantur, quòd viros egregios à Deo excitatos plurimi faciant, laudanda sanè est observantia. At altera etiam pars majores majoribus, viros laudatissimos laudatissimis, autoritatem autoritati opponit. Necesse igitur est, ut pars hæc aut illa aut majorum & doctorum sententias non rectè capiat, aut pluris, quàm meriti sunt, æstimet. Oportet igitur alteram partem Majorum & Autorum suorum sententias & rationes cautiùs & sagaciùs examinare, & mentis istam obfirmationem abjicere. *Qui enim amat patrem aut matrem*, aut etiam Majores

* Sic πάσης συνωμοσίας πιστότερον ἡ τοῦ σφάλματος ὁμοιότης. *Societas in errore omni alia conspiratione fortior & fidelior.* Basil. Epistol.

&

& Doctores suos *plus quam Christum, non est Christo dignus.* Si sapiens inter Gentes cum illis agens, quibus multum honoris & observantiæ debebatur, hoc habuit in ore: ὑμᾶς μὲν ἀσπάζομαι ϰ̀ φιλῶ, Θεῷ δὲ πείθεσθαι βούλομαι *vos colo & amo, at Deo volo obtemperare.* Multò magis Christianus Majoribus suis & Doctoribus errantibus, ut Apostoli coram Concilio Presbyterorum Judaico, respondebit &, *An justum sit, inquiet, in conspectu Dei vobis potiùs auscultare, quàm Deo, vos judicate.* Imprimis verò heic cavendum est, ne quisquam prudens sciénsque se errare, in errore suo perseveret, & alios secum in eundem errorem rapiat. Absit ut ego quenquam eo planè esse jam ingenio judicem; cæterum ad magnam sæpe mentis pervicaciam quidam antehac (quod nunc igitur studiose cavendum est) processerunt, ut in Judæorum gubernatoribus manifestum est. De quibus quidam dixerunt; *Numnam* ἀληθῶς *vere & sine dubio cognorunt primores hunc Jesum esse Christum illum*; ac si censerent quosdam illud cognovisse. Quamvis verò de Christo quidam affirmarunt, *Non novimus, unde sit: Christus tamen disertè; & me, inquit, nostis, & unde sim, nostis.* Ut ut verò hæc sese habent, apertiùs alibi loquuntur primores Judæorum. *Conspicuum signum editum est per Christi discipulos in ejus nomine; & manifestum est omnibus Hierosolymitanis, nec possumus negare.* Christum tamen negare voluerunt, in eum non credere, & scientes prudentésque menti suæ deceptæ ob-

Mat. 10. 37

Plat. in Socr. Apol.

Act. 4. 19.

Joh. 7. 26

Act. 4. 16.

Cap.13 obtemperare. Atque hanc ob causam forsan Spiritus sanctus vult, ut *hujusmodi Hæretici, post unam aut alteram admonitionem repellan-*
Tit.3. 11. *tur, ut qui peccant* αὐτοκατάκριτοι *suo ipsorum judicio condemnati.* Quippe qui eorum simi-
Job.21.14. les sunt, qui dixerunt, *Discede à nobis, nolumus viarum tuarum notitiam; & eorum, qui non ausculturunt voci Jehovæ Dei sui, neque*
Jer. 7. 26. *acceperunt eruditionem: sed obdurarunt cervicem suam & pejus fecerunt, quàm majores ipsorum.* At nos, etsi antehac in Ecclesia aliqua Christiana extiterint majores quidam mente obfirmatiore & errorum suorum tenaciore, speremus tamen eos aut per ignorantiam hoc fecisse; aut, agnitis erroribus suis, ante obitum suum pœnituisse, aut sensu humanitatis suæ dejectos, generali peccatorum suorum confessione & animi confusione (quoniam *nemo scit, quoties peccat*) Dei misericordiam esse deprecatos; *sinamus itaque eos suo Domino aut stare aut cadere.* Tum verò erga Christianos, quicunque demum ij nunc sunt, eo simus animo, ut speremus etiam eos post multos & admirandos veritatis radios, magna jam claritate & fulgore conspicuos, post multos fratrum eruditorum labores in rerum & doctrinarum discussionibus, in adhortationibus, precibus, obtestationibus collocatos, tandem seriò & in timore Domini omnia librantes nolle in errore quopiam scientes prudentésque ad Dei provocationem, Ecclesiæ dolorem, & suam (quod Deus avertat) ruinam persistere.

Sexto

Sexto in loco si ad tempora mundi antiquissima oculos attollamus, atque inde exemplum nobis sumamus, comperiemus ab Adamo ad Mosen fere neminem fuisse in Ecclesia* Dei schismaticum aut sectarium; A Mose ad captivitatem Babylonicam paucissimos in Ecclesia extitisse, qui controversijs & quæstionibus Sanctorum pacem turbarunt. Ita ut ex ijs, quæ superius exposuimus, constet, paucissimas ex hodiernis litibus & disputationibus Ecclesiæ quietem interrupisse. Habuerunt sanè tempora illa Apostatas & Ecclesiæ hostes potentissimos, quales etiam Ecclesiæ Christianæ patientiam diu antehac exercuerunt, atque etiamnum exercent: at inter cancellos & septa Ecclesiæ pauci admodum fuere novatores, expositionum & rituum extraneorum assertores, & quæstionum curiosarum motores. Etsi Patriarchæ otij satis superque habuerunt, diúque vixerunt; etsi postea *maximus fuit sacerdotum & Levitarum numerus, atque multi egregij atque sanctissimi floruerunt prophetæ; licèt plures erant prophetarum filij & scholæ*; nunquam tamen in singulis Theologiæ capitibus tot lites agitarunt, nunquam tot contrarias & dissidentes opiniones, quot in nostra hac ætate ad incudem trahuntur, ventilarunt. Fuerunt illis longè *plures quàm nobis ritus sacri, contractiores & obscuriores sacræ doctrinæ expositiones; fuit illis doctrina de Messia redemptore, qui tum nondum venerat, & salutem morte sua illis acquisiverat, multis velis & umbris involuta,*

** Licet quidam fuerunt Apostatæ non paucis stipati comitibus. Hi ab Ecclesia vera discesserunt.*

quæ

quæ nobis luce meridiana clarius in Evangelijs proponitur, & in scriptis Apostolicis multò planiùs pleniúsque, quàm unquam illis, exponitur. Quid ergo nos his de rebus tot & tam graves movemus lites, illi verò nullas aut paucissimas? Habuerunt illi *multos Sanctos inter Patriarchas, Reges, Prophetas, sacerdotes, multas fœminas fide & pietate insignes*; nusquam tamen verbum de Sanctorum adoratione, invocatione, intercessione; aut de imaginum eorum cultu, aut de peregrinatione ad eorum sepulchra, occurrit. Vita horum omnium Sanctorum singulari et admiranda pietate & virtute enituit: nunquam tamen contenditur de eorum meritis, aut thesauro aliquo meritorum in Ecclesia sacerdotis curæ commisso, quo ille defectus eorum, quibus bene voluit, suppleret. Habuerunt illi plura sacramenta & typos, quibus usi, Christi Diem, ut nos per nostra jam sacramenta, viderunt: nusquam tamen de his perplexa & infinita, ut nos de nostris sacramentis paucioribus, agitarunt litigia. Norunt illi *Jehovam Deum fore illis beneficum, qui in fœdere sancto perstiterunt, & in vijs Domini ambularunt, & faciem iratam, contra eos qui fœdus cum Deo initum fregerunt, & se peccatis obfirmatiùs dediderunt, esse positurum*; nec tamen Ecclesiam disputationibus de purgatorio aut limbo duplici, quorùm alter tunc solùm (ut asseritur) erat in usu, gravarunt. Claruerunt illi fide in Deum, in Messiam, in Spiritum Sanctum; & articulis fidei omnibus

bus, ita ut Deus fidem eorum approbarit, assensi sunt: abstinuerunt tamen à cumulo litium circa illos jam motarum. Sæpe illi *Angelorum ministerio fruebantur, & sæpius cum illis colloquuti sunt*: nunquam tamen de illorum officiis, ordinibus, adoratione, &c. tam scrupulosè, ut nunc, Philosophabantur. *Norunt illi Deum quosdam, quibus ei visum est medijs, ad beatitudinem perducere, alios verò justo illorum merito rejicere:* nunquam tamen tot propugnarunt dissidentes & oppositas de prædestinatione & electione, de reprobatione & damnatione, & capitibus annexis opiniones. Sed quid plura? minime opus est alia Theologiæ capita percurrere, quæ licèt illi satis norunt & meditati sunt: nunquam tamen tot disputationibus & rixis Ecclesiam, quot nos jam quidam, vexarunt. Liquet verò, quod siquando Deus illis temporibus populum inscitiæ, negligentiæ aut peccati accusat, & severius increpat, quod nonnunquam (agens nimirum cum populo rebelli) necesse habuit facere: nunquam tamen reprehendit, quód has nostras quæstiones accuratè, profundè & copiosè non disputarunt; sed quòd *legem Dei & fœdus sanctum non observarunt, & quod in statutis & mandatis divinis non ambularunt.* Christus verò orbem judicaturus nec pios recipit, quia ad Angelicam Cherubinicam vel Seraphicam rerum divinarum scientiam, quod non multis datum, aspirarunt; sed *quod pietatis & charitatis officia, quæ multò magis sunt obvia Dei gratia exercuerunt.*

exercuerunt. Nec impios damnat Christus, quòd exactè, eruditè, & summo acumine capita Theologiæ non disputarunt; sed ad vitæ praxin descendens, quòd *non cibarunt esurientes, non potum dederunt sitientibus, non vestierunt nudos, incarceratis, peregrinis, ægrotis non ministrarunt.* Quare multò satius est exemplo Patriarcharum, Prophetarũ & Sanctorum, in mandatorum divinorum exercitio multum operæ insumere, quàm quæstiones profundas, & minus necessarias, & dubias, quæ ad schismata & sectas rectâ viam faciunt, tractare. Secundò, est quod in prioribus illis mundi temporibus imitemur. Nam multi, qui in schisma aliquod inciderunt & ab Ecclesia & sanctorum communione in errores quosdam declinarunt, statim aut divino monitu revocati, aut castigatione aliqua ad sensum peccatorum adducti, pœnitentiam egerunt, & à Deo in favorem recepti sunt.
Jos. 24. 2. *Abrahamus qui cum Thara patre ejus Mesopotamiam incoluit, & Deos alienos coluit,* à Deo ad rectam fidem vocatus, cum patre & cognatis, & animabus, quas Deo è mentium errore acquisierat, rediijt ad castra Sanctorum, & insigni pietate conspicuus *fidelium pater evasit, & benedictionem illustrem illam de omnibus Gentibus in Christo ejus semine ad fidem vocandis accepit. His Rebeccam, Leam & Rahelem licet accensere,* quæ in pias familias ascitæ fidelibus uxores, Deos alienos patrum suorum rejecerunt, & Jehovam Deum Abrahami, Isaaci, Jacobi coluerunt. Quid quod

quod etiam *Aaron & Miriam* contra Mosen surgentes, & gravissimum illi crimen (ut opinabantur) de Æthiopissa objicientes; hic divino monitu, illa etiam & leprâ castigati, se peccasse & stultè egisse confessi, & veniam orantes, ad Mosis preces remissionem à Deo impetrarunt. Quoniam verò Moses novit animum rebellem populi Israelitici, dum vixit; & prædixit, *multò magis post mortem suam, quod vere nimis tempore Iudicum, Regum, & ipsius Christi contigit, rebelles: hic reliquit illis librum legis in latere arcæ fœderis Jehovæ contra illos testem, & canticum sacrum auribus eorum, sicut ros & pluviæ tenues in teneram herbam, & imbres in herbam adultiorem descendunt, instillandum.* Quorum cognitione Reges pii *David, Ezekias, Josias, & alij, & Prophetæ & Sacerdotes eximij, Samuel, Elias, Esaias, Jehojada, Ezra*, & cæteri multos in populo illo ab errorum devijs retraxerunt. Temporibus verò posterioribus *Christus Apostolos & multos è plebe Judaica, Petrus una concione tria millia animarum, alibi verò Apostoli quinque millia à studio & admiratione Pharisæorum & Sadducæorum*, Apostoli antē plures ex Gentibus ab Ethnicismo ad fidem Christianam adduxerunt. *Paulus verò pietatis studio multùm inflammatus & legis Mosaicæ studiosissimus, & fermento Pharisæorum infectus, & contra Christianam fidem furiosè sæviens, Christi increpatione extraordinaria zelum suum statim ad meliora convertit.* Et *Petrus nimio studio cæremoniarum, & metu circumcisionis*

Deut. 31. 27.
Deut. 31. ult. & 32. 1.
Acts 2. 41.
Acts 4. 4.

circumcisionis abreptus, Pauli admonitione citò victus ab errore suo resiluit. Nolo his subjungere complures olim, & posterioribus his temporibus, qui Ecclesiæ alicujus (ut sibi visum est) fama aut majorum exemplo, aut suarum dignitatum amore, aut opinionis suæ præjudicio fuere illaqueati: veruntamen admonitione piorum fratrum, & sua seria veritatis examinatione, erroribus suis valedixerunt, & saniorem doctrinam amplexi sunt. Quare & jam multos oportet in Ecclesiis reformatis invigilare, ut discant, sicut omnem animi obfirmationem in errore cavere, tristi Cainitarum, Nimrodi, Jeroboami, Koræ, Pharisæorum & Sadducæorum exemplo; sic & schismata & sectas, aut prorsus vitare piorum patrum & Prophetarum & Sanctorum ante Christum exemplo; aut si contigerit, ut in seditiones & hæreses (quæ hominum est imbecillitas) lapsi sint: ijs enitendum est, ut discant, Abrahæ, Aaronis, Miriam, & populi Judaici post captivitatem Babylonicam, & deinde Petri & Pauli, & aliorum piorum post Christi ascensionem exemplo, ab illis se erroribus subducere, quæ jam pro & contra in Ecclesia Dei, ad Domini nostri provocationem, Evangelii obscurationem & piorum omnium dolorem agitantur.

Septimò animos nostros exsuscitemus, intentiori studio Dei bonitatem, ut semper in Ecclesiam suam, sic etiam vel maxime in populum Christianum perpendamus, & quàm multis & efficacibus rationibus nos ad Evan-

gelij

gelij propagationem accelerandam, & contentionum remoras tollendas excitaret, videamus. Quod ut clariùs pateat, recolamus, quæ in primo limine hujus tractatus diximus de glorioso statu Ecclesiæ Christianæ promisso. Sciamus verò Deum nobis non defuisse, sed *promissiones factas Adamo, Abrahamo, Davidi, Esaiæ, & Prophetis, sanctisque reliquis ex sua parte implevisse omnes. Nam Christus carnem nostram assumpsit, Satanam devicit, peccatorum remissionem nobis à Deo obtinuit, convivium salutis paravit, fontem beatitudinis tum Judæis tum Gentibus aperuit. Cum enim hi sub peccato jacebant, cum non erat justus, ne unus quidem, cum non erat, qui intelligeret, et Deum exquireret, sed omnes è pietatis tramite deflexerant, & inutiles facti fuerant; cum totum fere genus humanum ad summum impietatis & iniquitatis fastigium, generali (ut tempore Noæ) defectione pervenerat*, & Deo integrum fuerat (si juxta ordinariam justitiam homines tractasset) totum mundum (paucis exceptis) iterum extirpasse: ille memor se Noæ promisisse, nunquam rursus mundum fore inundandum, aliam tentavit viam, & omnia quasi de novo formavit. Misit nempe posteriorem Adamum, secundum hominem, Dominum ipsum de Cœlo; qui ac si novum mundum esset facturus, novum fœdus induxit, & novo modo, sanguine suo confirmavit. Ut verò facilis ad divinum favorem esset aditus; [a] *Christus, cui omnis in cœlo & terra data erat po-*

Rom. 3 11.

[a] Matt. 28.

Cap. 13 testas, praecepit suis discipulis, ut docerent om-
b Marc. 16. 15. nes nationes, omni creaturae [b] Evangelium an-
nuntiarent, & eos baptizarent. Omni scil. po-
c 2 Cor. 5. 18. pulo misit [c] laetum nuntium reconciliationis &
pacis & per lavacrum regenerationis, et renova-
tionis spiritus sancti; voluit ut quilibet veterem
d Tit. 3. 5. [d] hominem exueret, renovaretur spiritu mentis,
& novum hominem indueret; voluit ut Gen-
e Eph. 2. 15 tes [e] & Iudaei prius animis & affectibus di-
visi in unum hominem novum formarentur;
f 1 Pet. 3. 21. Voluit ut omnes [f] nationes per aquam baptis-
matis, ut octo animae in familia Noae per aquas
cataclysmi, servarentur. Nam baptismus no-
ster, quo ritu peccatorum nostrorum sordes
in Christi sanguine ablui docemur, *antitypon
est aquarum Noae*; & facili hac via Deus
tum Judaeos tum Gentes multis ablutionibus,
assuetos in Ecclesiam Christianam admitti cu-
g 2 Cor. 5. 17. Col 3. ravit; & à quolibet [g] qui in Christo est, po-
stulat, ut nova sit creatura, & renovetur in
agnitionem congruentem ejus imagini, qui ipsum
condidit. Est enim peccato moriendum ut vi-
vamus Deo; ut vetera omnia praetereant, &
nova facta sint hoc modo omnia. Tum etiam
h Apoc. 21. 2. de coelo [h] nova (subrutâ prorsus veteri) *Ie-
rusalem descendit. Quae portas aperiit 12.
non 12. Tribubus Israelis tantum, sed omni-
bus Gentibus undiq; ab omni coeli plaga ad-
ventantibus.* Ut tandem omnes *unâ Christi-
ani canticum novum, non ut illud Mosis de
Apoc. 5. 19. Pharaone & suis submersis, aut illud Debo-
Apoc. 7. 10 11. 12. de Sisera cum suis devictis; sed de Sata-
na [a] obtrito, & de Christo victore,* dicentes:
Dignus

Dignus es (ô Christe) ut accipias librum, & aperias ejus sigilla; quoniam mactatus es, & redemisti nos per sanguinem tuum ex omni tribu, & lingua, & populo & natione. Quibus etiam Angeli accinunt, *Dignus* [b] *est agnus ille mactatus, qui accipiat potestatem & divitias, & sapientiam, & vires, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Atq; unâ πᾶν κτίσμα *omnis creatura clamat, Ei qui insidet throno, scil. agno sit benedictio & honor, & gloria & robur in secula seculorum.* Deus verò qui homines voluit hac ratione sibi reconciliari, magnam illam inter homines dissensionem, quâ sese mutuò *leonum, ursorum, pardorum, aspidum, luporum ritu* (aut siqua ferarum natura sit his immanior) laniarunt & discerpserunt, hac etiam ratione voluit tolli. Cum igitur Deus nos tam misericorditer in favorem suum admiserit, & depravatam hominum naturam quasi de novo formarit; nihil est ut nos [c] ἀθάνατον ὀργὴν φυλάττωμεν, θνητοὶ ὄντες, *cum simus mortales, ira immortali effervescamus*; aut cuiquam simus (quod etiam vetuit [d] Zaleucus) ἔχθροι ἀκατάλλακτοι, *hostes nunquam emolliendi. Fecit olim Deus omnes ex uno semine homines,* ut mutuo amore sese invicem amplecterentur, & (quod in cæteris cernimus [e] animalibus) *erga genus suum, animo essent amicissimo:* atque hinc saniores Ethnici [f] observarunt, *hominibus omnibus, quâ homines, eam esse inter se societatem & communionem*; ut non possit quisquam, quocunq; sub axe natus, alteri videri alienus. At jam

b Apoc. 5. 12

c Arist. Rhet. 2. 21.

d Diod. Sic. lib. 12.

e Dissidiis nostris τῶν ἀλόγων γέγονεμεν ἀλογώτεροι. Basil epist.

f Tull. Cic. Ἀνθρώποις μετέχουσι τῆς πρὸς ἀλλήλους συγγενείας. Diod. Sic. lib. 11.

CAP. 13

cum Christi bonitate *facta* g *sit potestas omnibus nationibus, populis, linguis, ut in cœlesti Hierusalem, quæ omnium nostrum mater est, sint concives & municipes*; cum jam quilibet qui, Deo vocante, *ad Evangelium* [h] *accedit, Judæus sit, in Dei populo censeatur, & pro semine habeatur*; *proximus* [i] *est nobis etiam is, cui minus nobiscum convenit, quam olim Iudæo cum Samaritano*. Atque idcirco nobis est enitendum, ut civitas Dei non parvis cancellis, nec unis arctísque mœnibus definiatur; sed ut *ad cœlestem Hierusalem & Christi politiam perveniant illi, qui in locis* [k] *orbis remotissimis, & ultimis terrarum angulis sedes posuerunt*. Cum verò Ecclesia sit unica (ut quælibet [l] civitas) πῶς κ' πάνʃως, aliquo respectu, non omnino: nempe sic ut corpus unum est, licèt in eo varia sint membra; *Non* [m] *potest pes dicere, quia non sum manus, non sum de corpore; nec auris, quia non sum oculus, non sum de corpore; nec potest oculus dicere manui, Te mihi non est opus; aut caput pedibus, non est mihi vobis opus*. Nempe Deus omnia, ut in corpore humano, sic in corpore Ecclesiæ ita contemperavit, ut paci & concordiæ studeremus; & ut membra in corpore, ita nos alii aliorum commodis inservíremus. Et in politia tum Civili tum Ecclesiastica sapientissimo Dei, inquam, consilio provisum est, ut non sit quisquam [n] αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής, in se sufficiens, sed rebus multis indigens, quod ad unanimitatem & pacem plurimum facit. Nam [o] ἀλλή-

λοιστ

g Apoc. 3. 12. & 21. 2. Gal. 4. 6.
h Rom. 2. 28.
i Luc. 10. 37. φιλία κὴ τὰ διεςῶτα ποιεῖ πλησίον. Amor *distantia longè* efficit proxima. *Nazianz. epist.*
k Eph. 2. 13 Rom. 9. 8.
l *Arist. polit.* 2. 5.
m 1 Cor. 12. 15.
n *Plat. de resp. lib.* 2.
o *Nazianz.*

λοιπὶ χεῖρες τε καὶ ὦτα καὶ πόδες ἐσμεν, alii aliis sumus manus, aures, pedésque. Necesse est igitur ut mutuis officiis alii aliis subordinati firmiùs concordiæ leges colamus; & ut ὁ προνοῶν ἑτέρε, ἑαυτε κήδεται, *Qui socii res curat, etiam res suas curet.* De Cyro Principe laudatissimo dicitur quòd τὰς † οἰκονομικὰς πράξεις συνεκεφαλαίωσε, *regni administrationem in paucos sibi tanquam capiti morigeros contraxit, & omnia ita subordinatione officiorum constituit, ut plurimas nationes, etiam quasdam nunquam visas, innumeras hominum myriadas tanquam unam familiam & domum habuerit morigeras & conspirantes.* Scilicet qui principis optimi exemplar sapienter & ingeniosè orbi descripsit, forsan hoc de Cyro finxit, ad quod omnes oportet principes collimare: Nec enim Cyri hæc felicitas (siqua talis unquàm huic contigit) diu mansit; nec quisquam Regum aut Imperatorum eò majestatis & providentiæ potuit aspirare. At *Deus Rex Regum reverà omnes ita in Christo* [a] ἀνακεφαλαιῶσεν εἰς οἰκονομίαν, *sibi capiti in regni sui administratione contraxit subditos:* ut omnes omnino Christiani, sicut illi in primitiva Ecclesia, *perdurent* [b] *concorditer in precibus & supplicationibus & Christianis officiis, ut unanimiter uno ore* (quod jubet Paulus) *Deum* [c] *etiam patrem Domini nostri Iesu Christi glorificent.* Nec certè est Rex noster illorum Regum & Imperatorum mundanorum similis, quos proprius animus vanitate intumescens gloriosè extulit, aut Gentium vanitas ad adulandum

† Xenoph. lib 8. Cyrop.

a Ephes. 1. 10.

b Act. 1 14

c Act. 15.6

CAP. 13 landum prompta, multis celebravit encomiis, & summæ majestatis titulis ornavit. Nam hi cum Reges se Regum & Dominos Dominantium venditassent, tandem aut hostili manu ceciderunt, aut à suis perditi, & confossi interierunt; & splendida illa regna, quorum fulgore obstupuit orbis, aut suis viribus, aut mole corruerunt. *Innatus* [d] *est enim rebus omnibus terrenis vermis quidam*, cujus morsibus, si non prius aliquid externum eas devoret, exeduntur. *Qui gladio* [e] *percutiunt*, qui vi & armis Dominationem acquirunt, *gladio*, *inquit Christus*, iisdémque armis *peribunt*. Qui persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, & mundanis hujus seculi artibus viam ad Imperia faciunt, experientur *has* [f] *principum hujus seculi, qui abolentur, artes in stultitiam verti, & disceptationes omnes sapientum vanas esse. Quia* [g] *nulla est sapientia, nulla intelligentia & consilium contra Jehovam. At Christi* [h] *regnum in omnes populos & nationes Dominatus est perpetuus & æternus, nunquam præterit, nunquam corrumpitur. Christus* [i] *est verè Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quare jure *illum solum omnes* [k] *Monarchæ venerantur, illi soli omnes populi serviunt.* Quare oportet omnes *tum Reges & Judices terræ*, tum populum horum imperio subditum gratiam & pacem ab hoc rege oblatam grata & humili mente accipere, ejus imperio & tutelæ se submittere, & animo concordi Regni ejus exaltationem, quantum in se est, promovere. *Colamus igitur Jehovam cum reverentia, & ita exultemus*

d *Polyb. fragm.*
e Mat. 26. 51.
f 1 Cor. 3. 19, 20.
g Prov. 21. 30.
h Dan. 7. 14. Apoc. 5. 12
i Apoc. 11. 17. 1 Tim 6. 15. Eph 1. 21. 1 Tim. 1. 17. Heb 1. 8
k Psal. 72. 11
Psal. 2.
Ibid.

in eo cùm tremore: ut nihil affectus nostros & studia distrahat, aut ad vana & inutilia, & Christiano homine indigna rapiat. Si enim præcipuis & *primis* [l] *votis* & conamine, & præ reliqua omni hujus mundi gloria & potentia *Christi Regnum promovere studeamus*, cætera omnia non modo ad vitam degendam necessaria, *sed & omnia* (ut tempore Davidis & Solomonis) ad ornatum facientia *Deus affatim suppeditabit.* Nec solùm Christus, factus omnium Dominus, *omnia* [m] *ad vitam & pietatem spectantia suis donabit*, eos omnes, qui ad eum sese recipiunt, *& possessionem* [n] *ejus in Gentes & fines terræ,* & regnum cœleste à Johanne Baptista, à Christo ipso, ab Apostolis annuntiatum satagunt promovere, *beatos efficiet*; Sed etiam *in æstu iræ suæ perturbabit, & virga ferrea omnes contra Jehovam & Christum ejus consultantes & machinantes contundet, & ut vas figulinum confringet.* Is quidem Deus, qui ante Christi adventum hostes suos & sinceræ religionis oppugnatores, Cainitas, Nimrodianos, Jeroboamitas multis calamitatibus attritos tandem vindictâ divinâ sustulit, *is etiam post Christi tempora Iudæorum sacerdotes & præfectos, qui Apostolis minaciter interminabantur, ne cuiquam in Christi nomine prædicarent*, in Jerusolymorum ruina; si non ante illam, obtrivit, politiam eorum dissipavit, & populum rebellem lanienæ & miseræ captivitati tradidit; & Romanos Christianismi hostes sanguine, quem sitiverunt, saturavit, & tristissimis bellorum vastationibus consumpsit.

l Mat.6.33
m 2 Pet.1.
n Psal.2. ult.
Act 3.

Cap. 13

o Deut. 30. 8. 9. sumpsit. Certè ut olim *Iehova servos* o *suos auscultantes mandatis divinis, & facientes omnia præcepta ejus, & ad Dominum Deum ex toto corde & ex toto animo conversos extulit, iisq; in omni opere manuum, in fœtu jumentorum, in fructu terræ benedixit, & in benefaciendo illis lætatus est* : & contra si se avertebant, *& voci ejus non auscultabant, eos* p *perdidit, & omnigena miseria in operibus manuum & omnibus illorum viis punivit.* Sic idem Deus temporibus post Christum *omnia* q *huic vitæ necessaria Regnum Christi quærentibus superaddet*, & quæcunque impiorum injuriis perdunt, in *hac* r *vita remuneratione centupla reddet, & in futura vitâ eos immortalitate coronabit*; *atque etiam* s *omni transgressioni & contumaciæ impiorum retributionem mercedis justam referet*. Nec enim possunt iram Dei effugere, qui salutem à Christo Domino oblatam negligunt. Atq; (ut Paulus) *Deus iis qui* t *per tolerantiam quærunt boni operis gloriam et honorem et immortalitatem, dabit vitam æternam : rixosis verò, et veritati non assentientibus, obsequentibus autem injustitiæ erit excandescentia et ira. Si peccatis* a *suis mundus Deum provocet, si renuat audire et rebellet, ira ejus prioribus pœnis orbi inflictis non exhauritur aut avertitur; sed adhuc manus ejus ad impios comprimendos et debellandos potest extendere.* Siquidem *Deus etiam nunc pacem* b *è terris potest tollere, homines inter se committere, ut alij alios mactent; potest efficere* c, *ut gladio, fame, peste, aut per feras terrestres*, sicut olim, hostes

p Ut minatus est Lev. 26.

q Mat. 6. 33.

r Mat 19. 29.

s Heb. 2.

t Rom. 2. 7.

a Ut Es. 1. 20. Et 9. 21.

b Apoc. 6. 4.

c Apoc. 5. 8.

ejus

ejus cadant; potest efficere [d] ut *impii Reges, optimates, divites, tribuni, potentes, servi et liberi se metu irati Dei in speluncis, in Petris montium occultent*: et tandem [e] *potest iis in stagno ardenti igni et sulphure illis dare portionem*. Quare Deus etiam nos, ut priora secula ad fidem et obedientiam tum præmiis æternæ vitæ et beatitudinis, tum pœnis in hac vita gravissimis, tum minis tormentorum in futurâ æternorum exacuit et exsuscitat. Præterea gratiosissimè Deus nobiscum egit, cum cognitionem salutis per Christum nobis dederit, non *qua è longinquo* [f] *aut occulto peteretur, nec è cœlo aut ultra mare quæreretur; sed in ore et animo nostro illam posuerit, ut voluntatem ejus faceremus*. Nempe dedit nobis *scripta* [g] *Prophetarum veterum*, addidit insuper Euangelica et Apostolica; quibus jussit ut attenderemus tanquam fidei et morum regulæ: Ut non solum verba sacrarum scripturarum capiamus, sed etiam *juxta præscriptum divinum vitam instituamus; ne nosmet ipsos decipiamus*. Vetuit verò ne dextrorsum aut sinistrorsum ab hoc canone deviemus, aut [h] ad *aliam doctrinam* diversam feramur. Cum verò Deus jam doctrinam omnem, quæ Ecclesiæ suæ usui esse potest, revelarit: quid aliud restat, quàm ut in hac, quod fecerunt Apostoli & viri Apostolici, amotis nuperis nostris litibus, acquiescamus, & Euangelij notitiam & pietatis & charitatis opera omnibus commendemus: ut constet nos memores esse generalis illius & supremi mandati, quod

d Apoc.6. 15.
e Apoc.21. 8.
f Rom.10. 6.
g 2 Pet.3.2
h 1 Tim.1.

quod Apostolis & legatis suis post resurrecti-
onem & ante discessum ad patrem dedit Christus: scil. euntes docete & baptizate omnes Gentes in nomine Patris, filii, & Spiritus Sancti; docẽtes eos observare omnia, quæcũq; præcepi;
i Gen. 49. Si verba *Iacobi*[i] *& Mosis*[k], *cum jam suis erant*
k Deut 33. *valedicturi summa attentione imbibebantur*, & maximi semper erant ponderis: tum nos etiam, qui meritò omnes Christi sermones plurimi
l Acts 1. facimus, hos, quos [l] *ἐντελλόμενος ille mandans jamjam moriturus suis dedit discipulis*, vel maxima attentione & fide percipere & facere oportet. Quod si verò quispiam putet opus hoc Evangelium prædicandi omnibus orbis incolis gravius esse, quàm ut illi homines sint pares; & fieri non posse, ut tot nationes & populi vocentur, quorum quidam aversis prorsus sunt à Christo animis, alij ita sunt barbari & stupidi, ut vix ad humanitatem, nedum ab Christianismum possint animos inflectere. Certe hic suis ratio-
m Num. 13 nibus seipsum, ut *Israelita*[m] *sese ad aspectum & auditum filiorum Anac, & urbium ad cælum munitarum, fallit*. Nam factis ipsis refellitur.
n *Alex. apud Stob. S. 27.* Et δεῖ τοῖς [n] πράγμασι αὐτοῖσι πιστεύειν ἀεὶ *oportet factis ipsis semper credere*. Nam multi olim ex Judæis ad fidem Christianam concionibus Apostolorum & eorum successorum adducti sunt; & quidni posthac multò plures sunt adducendi?
o Mat. 28. ult. nam *in hoc eodem*[o] *opere Christus cum suis erit usque ad omnium consummationem. Quod si verò nos ex naturali*[p] *exsecti*
p Rom. 11. 24. *fuimus oleastro & præter naturam insiti in veram oleam, quantò magis ij, qui naturales sunt,*

inserentur

inserentur propriæ oleæ: præsertim [q] *cum dilecti sint propter patres.* Tum etiam multi ex Græcis in complures & absurdas divisi sectas, multi ex Barbaris inhumanissimis in Aquilonari, & Occidentali, & Australi orbis partibus ad vocem Evangelij sua Christo dederunt nomina. Præterea cum piscatores semper hamum suum habeant pendentem, & venatores quosque montes & colles peragrent, ut præda potiantur: non oportet * *Christi piscatores & venatores* præjudicio quodam contra mandatum Domini sui ab opere suo detineri. Quamvis enim fieri possit, ut homines nihil tota nocte arte sua capiant, cum tamen *rete Christi jussu demittunt, piscibus* † *naves ita implebunt, ut penè mergantur.* Christus verò ut fidem faceret de Nationum ad fidem conversione, in Galilea & Nazaret multos vocavit, & quosdam Galileorum in numerum 12. Discipulorum ascripsit; licèt Judæi præjudicio quodam "Galilæos vilipenderent, & num aliquid boni è Nazaretha proveniret, dubitarent. Quid quod ad Deum conversi sunt *Cornelius Centurio Romanus, carceris Præfectus*, viri officio etiam suo facti ingenio intractabiliori, & *Paulus persecutor vehementissimus, & quidam è Cæsaris* [b] *familia, & nonnulli, ubi Satan* [c] *habitabat, & thronum habebat.* Ita ut prævijs his conversionibus magna facta spes sit convertendi barbaros, ferocissimos, inimicissimos: ut Christi nuncijs exspectanda sit, quæ & *Paulo* [d] *inter Barbaros in insula Melito contigit,* ἡ τυχοῦσα φιλανθρωπία *non vulgaris humanitas.*

q Rom. 11. 28.
* *Sic enim vocantur.* Jer. 16. 16.
† *Quod Christus docuit captura illa.* Luc. 5. 6.
" Joh. 7. 52
Joh. 1. 47.
a Act. 10.
Act. 16. 33
Act. 9. 1.
b Phil. 2. 22
c Apoc. 2. 13
d Act. 28. 2

Cap. 13 *tas. Potest enim Deus ex lapidibus*, nempe ex
e Mat. 3.9. Gentibus obduratis *filios* [e] *fideles Abrahæ ex-*
f Esa. 11. 6. *citare, & ex leonibus* [f] *et lupis, et ursis*, nempe populo moribus ferinis, *agnos in Christi ovile asciscendos facere.* Is certè qui præcepit, ut doceantur omnes nationes, & baptismo in suam familiam assumantur, non deerit iis, qui positis minùs necessariis & inutilibus rixis & contentionibus in ejus timore opus à Christo mandatum aggrediuntur. Hic enim docuit, quem exitum conatus & labor iste sit habiturus,
Apoc. 5.9. cum tandem tota Ecclesia concinat, *Tu nos, inquiens, redemisti ex omni tribu, lingua, populo, natione.* Jam igitur manifestum est, Deum non solum rationem injisse, qua pacem & reconciliationem cum eo habeamus, & fidem omnibus Gentibus communicemus; sed etiam qua studiis & operis unitis florentem Ecclesiæ conditionem, quam in Prophetis suis sæpius promisit & descripsit, promoveamus fruamurque.

Cap.



Cap. XIIII.

In quo capita rerum recensentur.

Cum Deus gloriosum Ecclesiæ suæ statum post Christi tempora concedat; cum suis in hoc opere adsit ad mundi consummationem; cum reconciliationem omnibus nationibus promulgarit, et velit, ut concorditer Christiani omnes in hanc metam colliment; cum verò discordia inter legatos, nuntios et omnes servos subordinatos, sic etiam inter Christi ministros operam retardet aut omnino efficiat irritam; oportet nos heic unitis operis, et concordi voce Evangelium promovere: ut tandem unâ voce in cœlis sumus ejus nomen celebraturi. Conandum verò est, ut nec Satanæ doli, nec rerum mundanarum illecebra, nec humana nostra infirmitas, nec personarum admiratio aut præjudicium, nec nimia sciendi curiositas, et disputandi ardor, nos in schismata et sectas rapiat. Sunt tempora Ecclesiæ quietiora imitanda, pauca aut nulla contentiones fovendæ. Si lapsus sit quisquam, revocatus citò meliori cedat consilio. Cum Deus pacis nobis adsit, pacem nobis commendet

det, lites prohibeat; cum Principes & Viri docti, ad unanimitatem indesinenter vocent & hortentur, faciles pareamus, & sopitis hodiernis controversiis juncta opera conemur, ut omnes nationes credant Jesum esse Christum illum filium Dei, & credentes per Christi nomen vitam æternam habeant.

UT tandem concludam, cum constet Deum nostrum Ecclesiæ suæ sub Christo felicem statum & gloriosa multa
a Act. 13. 34. Es. 55. 3. privilegia promisisse; & ex sua parte [a] *dederit* τὰ ὅσια τοῦ Δαβὶδ τὰ πιστὰ *sancta & indubitata illa quæ Davidi promisit*; & firmissimum cum
b Heb. 12. 28. Ecclesiâ suâ jam *fœdus* [b] *inierit nunquam immutandum*; volueritque, ut *qui ante* [c] *populus*
c Rom. 9. 25. ex Hos. 1. 23. *Dei non erat, populus Dei viventis vocetur, & quæ dilecta non erat, vocetur dilecta*; oportet omnes in glorioso hoc opere Deo subservire.
d *Arist. Ethic.* 4. 2. Ratio enim docet, [d] quod οὐκ διόντ' ἐστιν ἔχειν ὃ μὴ ἐπιμελούμενον, ὅπως ἔχῃ *fieri non potest, ut quispiam illud habeat, cujus habendi cura non tenetur.* Cum Deus nobis oracula, quæ olim Patriarchis & Prophetis dabantur, & ad populi ejus salutem ante Christi tempora sufficiebant, dederit: & insuper *scripta Evange-*
e Joh. 20. 31 *listarum & Apostolorum, quantum* [e] *satis erat, ut crederemus Jesum esse Christum illum filium Dei, & ut credentes haberemus vitam per nomen ejus*, addiderit. Cum, inquam, hæc omnia sacra Spiritus sancti dictamina (quassatis Satanæ & impiorum fraudibus) nobis reservarit, & Ecclesiæ suæ jam militanti commendarit

rit, jusseritque ut *omnes nationes doceantur, & in Ecclesia ovile in baptismate recipiantur, & observent, quacunque mandavit Christus; qui armatus omni in cœlo & terra potestate, cum servis suis in hoc opere promovendo ad seculi consummationem futurus est.* Quis non alacriter & concorditer ad opus tam egregium & nobile sub tam invicto & potentissimo Duce non consurget? Quæ natio, quis populus, cui admiranda lux bonitatis & sapientiæ divinæ in Evangelio diu effulsit, omnes controversias & rixas, Christo jubente, non extinguet & exstirpabit? ut unanimo consensu hujus lucis divinæ radios omnibus * orbis incolis, quantum in se est, faciat extendi; ut sermonem reconciliationis sibi datum, legatione suâ in Christi nomine fideliter impletâ, ubique terrarum annuntiet. Christus enim qui Ecclesiæ suæ magnitudinem, gloriam, consummationem promisit: qualem si nobis optio daretur, majorem & clariorem in terris vel animo & mente concipere non possumus; prædixit [f] *omne regnum, civitatem, domum, quibus adversus se est dissidium stare non posse*, sed ad desolationem tendere. Is verò potest & vult (quid enim hac de re dubitet quispiam?) quæ pollicitus est efficere: nisi per nos & nostram temeritatem committimus; ut hujus Regni scindatur excellentia, obtenebretur gloria, tollatur perfectio. Experti scimus *navem* [g], *cujus latera, fori, prora, puppisque; domum cujus fundamenta, parietes, trabes, tectum & cætera partes minùs firmas & fixas habent juncturas,*

* *Velle debemus ut omnes diligant Deum nobiscum. Aug. doct. Christ. lib. I c. 29.*

f Mat. 12. 29.

g *Arist. polit. 6. 6.*

Cap.14 *eturas, quavis tempestate et procella concuti, percelli, et tandem ruere.* Jure etiam nos oportet existimare politiam nostram infirmari, subrui, & funditus subverti; si singula membra inferiora non se regenda & dirigenda *Christo duci summo* submittant, si non suo quæque loco sociorum & conservorum sese commodis applicent; & mutuo & subordinato consensu auxilia sua efficiant firmiora. Certè non ferret Dux belli suos milites, nec navis gubernator nautas, nec Dominus servos animis & operis discordes: nisi enim capiti suo sese præbeant morigeros, & conjunctis viribus alij alijs subserviant, nunquam, quæ suscipiunt, probè succedent, aut ad optatum finem perducentur. Immo *quid aliud* * *robusti et surdi agunt milites, nautæ, servi, quàm sese et exercitum, navem, familiam in summum discrimen, aut ruinam deploratissimam perducunt; cum distractis operis, nemo ducem suum audiat, sed quilibet sedulo et strenuè voluntati et animo suo obtemperet?* Quare hoc etiam habet Satanæ regnum & cohors tenebrarum, ut licèt nullo non vitiorum ferè scateat genere; nunquam tamen *Spiritus huic subditi in sese mutuò armantur, et intestinis fervent discordijs.* Omnium igitur politiarum esset Christiana inconsultissima & imprudentissima, si cum minùs propriâ suâ concordiâ Dominatio Diaboli promoveatur; nostris ei litibus crescendi & dilatandi copiam faciamus. *Hoc Ithacus velit et magno mercentur Atridæ: hoc Turcis et reliquis Ecclesiæ hostibus optatissimum.*

* *Arist. Rhet.* 3.4.

Mat 12.26

num? At Deus pacis nunquam secum disconveniēs, & mutari nescius; vult, ut nobis inter nos conveniat: *ut unum sentiamus omnes, unum loquamur.* Atque ideo ori legatorum suorum non contrariam & pugnantem, sed unam eandémque indidit legationem; non voluit ut ex ædificatoribus Ecclesiæ hi destruant, quod alii exstruunt. Sed ut, *cum sapiens quispiam architectus fundamenta posuerit, alius super ipsa ædificet; & ut quisque videat, & caveat, quomodo super ipsa ædificet.* Noluit Deus ut alii in γεωργίῳ *agricultura* sancta, & verbi divini satione *pro zizaniis* damnent & eradicent, quod alii summa cura & labore *tanquam bonum semen in ejus agro seminarunt*; aut ut alii arbores quasdam tanquam inutiles exstirpent, quas alii pro frugiferis & Domino suo gratissimis terræ inseruerunt, & summa sedulitate curarunt: sed *ut alius prudenter plantet, alius riget, ut Deus ipse superveniens* (sicut etiam præveniens) *utriusque operi benedicat, & crescendi vim largiatur. Quod si verò, cum incertum * sonum tuba dat, nemo ad bellum apparabitur; quanta in exercitu futura est confusio, si contrarium & diffidentem sonum ediderit? Quare ut nos, Christi servos consentientes & filios pacis esse constet, super quos pax a Christo concessa requiescat, & domum habitare, cui rectè dicatur, Pax sit domui isti; nec revertatur pax ad pacis præcones, ut pulverem pedum suorum contra nos testem excutiant;* καταρτιζώμεθα, * παρακαλώμεθα, τὸ αὐτὸ φρονῶμεν, εἰρηνεύωμεν, *compingamur, consolatione fruamur, eadem*

1 Cor. 3. 19.

* 1 Cor. 14 8.

† Luc. 10. 5 10.

2 Cor. 13 11.

eadem sapiamus, nos pacificè geramus: Et Deus charitatis & pacis erit nobiscum. Quod si verò Satanas humani generis hostis studeat Christi præcones inter se committere, & discordiæ fumos & tenebras excitando, & sese in Angelum lucis vertendo, nobis satagat imponere; ne illi cedamus: sed cum sciamus *Christum hunc vicisse, & hujus caput contrivisse, Christo victori* (quis autem victori non lubens sese subjunget?) *pareamus*: unanimo consensu & opera Euangelium pacis promoveamus. Cum verò constet mundanarum rerum splendorem, honores, voluptates, opes hominum animos elevare, & ita inebriare, ut superbè contra Deum & loquantur & faciant, ut omnem pietatis, religionis, immo & Deitatis curam discutiant, ut partium studium foveant, tumultus & bella excitent; simus nos æqui harum rerum æstimatores, reputemus has res fluxas esse & cito transituras, no-
Phil 3.7,8. bis ζημίαν καὶ σκύβαλα: *detrimentū esse & stercora*, si cum Christo & ejus Regno comparentur; & nisi his, ut cætera omnia oportet, inserviant. Honori verò nobis esse ducamus, Christo, *ad cujus solius pedes omnes coronæ jure de-*
Apoc. 1.5. *jiciuntur*, qui solus ἄρχων ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς, Rex regum, & Dominus dominantium in terris, inservire, regnum ejus nunquam interiturum extollere, & numerum civium cœlestis Hierusalem accessione Sanctorum ab ultimis usque orbis partibus adaugere. Sic enim fiet, ut Ecclesia & tuta sub Dei alis & protectione subsistat, & propter incrementum suum

minùs

minùs pateat hostium injuriis, & mutuis auxiliis magis firmetur & invalescat. Sicut ὕδωρ † τὸ πλεῖον τῆ ὀλίγε ἀδιαφθορώτερον, *congeries aquarum aquæ cyatho minùs corruptioni obnoxia.* Deinde cum humanum sit errare, & quilibet in hoc mortalitatis statu deviet & nonnunquam à recta declinet semita; cum Angeli Ecclesiarum, cum Petrus ipse quandoque lapsi sint: primo ne simus αὐθάδεις nimio personarum nostrarum amore cæci, ne partus ingeniorum nostrorum, ut stulti parentes strabos suos filios, & quilibet poeta cyclicus jejuna sua poemata, depereamus; aut saltem, si errare contigerit, ne in errore perseveremus; sed à fratribus aut superioribus nostris moniti, lapsus nostros ingenuè * agnoscamus; & ut membrum putidum amore reliqui corporis, sic & putidam opinionem veritatis studio amputemus. Secundò ne majorum autoritate aut personæ alicujus admiratione in sectas & schismata scindamur. Christo autem soli Magistro, doctori & patri nostro honorem illum tribuamus; ut de illo solo audiatur, αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit:* ut illi soli statim & promptè in rebus sacris, cum audimus, Sic dicit Dominus, pareatur. Omne schisma politiæ damnum, obfirmatum verò sæpius ruinam parit: & æquum non est, quenquam Ecclesiæ, immo nec τῷ † τ πόλεως κινδύνῳ ἐλλαμπρύνεσθαι, *civitatis & reipub. damno inclarescere.* Nec minus injustum est, quod multis est usitatissimum, ut utramque * partem non audiant ἐξ ἴσ, ἀλλὰ τῷ μὲν παρέχοντες τ

† *Arist. pol. l. 3.*

* *Nec ut Thrasymachus veritate victi cedamus nolentes μετὰ θαυμάστε ἱδρῶτος cum insolito sudore. Plat. de repub. l. 1.*

† *Thucyd. 6*

* *Isoc Orat de pace.*

νοῦν, τοῦ δὲ οὐδὲ τὴν φωνὴν ἀνεχόμενοι, simili studio; sed hunc audiant attentè, illius verò vocem non ferant. Tertiò aliorum opiniones candidè & sine turbido aliquo animi motu examinemus. Quia *cujusvis oratio potest insimulari: et nihil ferè tam cautè dicitur, quod non possit perverti.* Habent verò *προφάσεις τὰ ἡμέτερα* * *φρονήματα ὥστε δεῖν καὶ ἡμῖν ἀπιστεῖν, cogitationes nostræ suos prætextus, ut nobismet ipsis non sit confidendum.* Quod si verò quenquam in errore manifestó deprehendimus, leni simus in eum animo, *& experiamur, num aliquando Deus ei resipiscentiam & veritatis agnitionem sit daturus.* Præterea cum Deus doctrinam omnem necessariam †, quatenus Ecclesiæ suæ erat opus, in sacris scripturis exararit; & *vetuerit inutiles & litigiosas quæstiones ventilare, & ad diversam doctrinam ferri:* Deo doctore contenti simus, dubias opiniones, quæ pugnas progignunt, abjiciamus; absurdas caveamus scripturarum enarrationes, & grandiores commentarios controversiis & dissidentibus expositionibus fœtos; quibus jure offenduntur Judæi, & Ethnici deterrentur. Observare licet *urbes* * *initio tenues moderatè et justè sese gessisse: at numero civium & rerum omnium copia florentes, ingenio fuisse Atheniensi,* † hoc est, *non posse inter se quiescere; nec aliis permittere, ut quiescerent:* Eodem prorsus modo dum scientiæ studium intra necessariæ doctrinæ cancellos sese continet, & ad actionem tendit, omnia sese quietè habent: ast ubi vastas spes concipit, et nullum sciendi finem

* *Xen. Cyrop. lib. 3.*

2 Tim. 2. 25

† *Nihil melius quam in rebus maxime necessariis institui. sic Thucyd. Ethnicus.*

* *Plat. 2. de repub.*

† *Thucyd. lib. 1.*

finem facit aut modum, se in gurgitem multarum dubitationum ingerit, & orbem litibus non necessariis implicat & inquietat. Et certè ut quidam nimio secundo rerum successu & copia luxuriant; sic etiam apparet quosdam * ὑπὸ πλούτου τῆς σοφίας τρυφᾷν *ob nimiam sapientiæ copiam ad delicias scientiæ labi noxias.* Cum nos oporteat *non* † *omnia, neque multa sed præstantissima & ad vitam formandam maxime idonea, & quæ* habent ἐλευθέριον θεωρίαν, ἐμπειρίαν δὲ ἀναγκαίαν, *liberalem contemplationem & usum necessarium discere*; & cavere ne scientiæ limites nimis provehendo faciamus * τὰ πάρεργα τῶν ἔργων πλείω *res obiter notandas, rebus ipsis ediscendis fusiores.* Cognitionis certe laudatissima est οὐ κτῆσις, ἀλλὰ χρῆσις, *non possessio, sed usus*, & explodenda est illorum περιεργία *nimia diligentia, qui non possunt* * διὰ τὸ ἀεὶ κτᾶσθαι *ob continuam rerum acquisitionem rebus acquisitis frui*: quod & his evenit, qui dum nimio scientiæ studio cupiunt omnia scibilia indagare & disquirere, necessariam cognitionem in scripturis sacris revelatam negligunt in fidei confirmationem & vitæ normam trahere. Proculdubio comperietur multò melius esse cognoscere * σμικρὸν δὲ ἢ πολὺ μὴ ἱκανῶς *pauca bene, quàm multa non sufficienter*, & necessaria cognitione è verbo imbibita uti, & in vitæ curriculo exercere, quàm profundas speculationes venari, & abstrusas quasdam & non necessarias notiones ad rixas non necessarias procreandas eruere. Deus enim præcepit, *ut ejus voci in sacris*

scripturis

* Plat. Euthyph.

† Plat. in Theag.

* Arist. Ethic. 1. 7.

* Thucyd. 1

* Plat. in Theatet.

CAP. 14 *scripturis attendamus, firma eam memoria retineamus; & beatos pronuntiavit omnes, qui cum ejus mandata sciant, in iis faciendis sedulò versantur.* Cum igitur primo scienda sit Domini voluntas, oportet scholam suas partes agere, & conari ut distinctè scientiam rerum necessariam tradat, & sine confusione animos omnium in ea erudiat; & Linguarum, Artium Antiquitatis & sacrosancti textus studia ita assumere, ut sobriè, piè, prudenter ad necessariæ veritatis indagationem, non ad diverticula & subterfugia cudenda adhibeat. In omni rerum sacrarum contemplatione, & meditatione, in illum scopum, quem Deus sæpius assignat, est collimandum. Scilicet, CAVETE ET ATTENDITE, UT FACIATIS. Laudabiliter quidem studia & labores nostri, ut antea *Sacerdotum, Prophetarum & Sanctorum* collocabuntur *in quieta meditatione creationis, lapsus, redemptionis, vocationis, sanctificationis, glorificationis nostræ; in consideratione Majestatis & bonitatis Dei, & omnium divinorum operum in mundi hujusce administratione, ut penitiùs divina beneficia in Dei servos & fœderis sui memores; & judicia in impios & fœdifragos mentibus nostris infigamus, & sæpius memoriam harum rerum refricando nosmet et alios excitemus ad Deum sincerè adorandum, ad laudes ejus animitus concinendas, ad fidei et gratiæ in nobis dona indies corroboranda, ad piè in omnibus Domini mandatis ambulandum, et cum timore et tremore nostram ipsorum salutem conficiendam.* Etenim si

Vt pag. 122, 123, 124.

Vt pag. 45. 46.

Phil. 2. 12.

si in his & similibus necessarijs officijs multum, ut oportet, operæ insumamus; minùs temporis in controversiis non necessarijs & quæstionibus rixosis orbem diutius & plus, quam par est, vexantibus conteremus, & feliciùs Evangelium *ad ultimos terrarum fines, quos Deus Christo promisit, et quod Christus nos tentare jussit, propagabimus.* Etenim, Deo dante, nec filij Anac nec urbes ad cœlum usque munitæ Israelitas potuerunt à terra Chananitica possidenda repellere. Jam vero Numine aspirante, & hominum manu concorditer & unanimiter admota, non poterunt Satanæ & impiorum omnium technæ, opus hoc Dei gloriosum, & felicem Ecclesiæ conditionem remorari. *Ostium jam nobis, ut olim, apertum est magnum et operosum, et multi sunt adversarij*, multi qui contra Christum militant: quanto diligentiùs et studiosiùs oportet Christianos pacis leges inter se inire & fideliter observare; ut constet hostium nostrorum minas *et* * τὸ κοινὸν φοβοῦντες ἐχθίστους συνάγειν τε *communem metum qui inimicissimos ad pacem cogit*, faciliùs multò Ecclesiæ membra, Christi nomine insignita, unire, & ad fortiter militandum sub *Christo duce, et victore, et ad vincendum progrediente*, exsuscitare. Cum verò Ecclesia Christiana non possit ut prima illa Patriarcharum, omnia omnino schismata & altercationes iracundas & inutiles vitare: aut asserere se, ut Ecclesia sub Mose & Prophetis in has lites & controversias cautiùs & parciùs esse prolapsam; sed plurimis in omnibus ferè Theo-

Ut pag. 2. & 3.

1 Cor. 16. 9.

* Arist. polit. 5.

Apoc. 6. 2.

Cap. 14

Theologiæ capitibus se contentionibus & dissidijs fecit simillimam νηῒ χειμαζομένῃ καὶ ποτε μὲν ἑκατέρωθεν ἀποκυλίνδων navi multum jactatæ & hinc inde maris æstu quassatæ. Jam saltem mentis in aliquo errore obfirmationem, quæ in Pharisæorum tempore invaluit, & infandas secum invexit miserias, caveamus. Et ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ αὐξήσωμεν, &c. *sincerè et verè inter nos affecti adolescamus in eum, qui est caput, nempe Christus: per quem totum corpus congruenter coagmentatum et compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura uniuscujusque membri, incrementum capit corpori conveniens ad sui ipsius ædificationem per charitatem.* Hoc autem non nostris consilijs & machinis, nullis humanis viribus aut prudentia possumus assequi. *Deo igitur nostro est attendendum, eique in omnibus quæ præcipit, parendum. Cum verò nostram secum reconciliationem (quod ad nos attinet) imprimis spectet: Deinde* (ut hoc opus feliciùs procedat) *nos ad concordiam, pacem, amorem, charitatem vocet.* Quales nos servi, discipuli, subditi, filij censendi sumus? si tanti Domini, Magistri, Regis, Patris imperium detrectemus. Omnia superiora, inferiora omnia constanter suũ observant cursum, & in sua unanimiter subordinatione consentiunt; Ut & nobis usui sint, & suo exemplo doceant, quàm indefessâ constantiâ & promptitudine sit conditori, redemptori, & omnis in nobis boni autori auscultandum. Sumus ergo omnium creaturarum stupidissimi, nobis ipsis inimicissimi,

†Vi in re non dissimili, Joseph Antiq. 12.

Eph. 4.16.

Vi pag. 85.

cissimi, ab omni non modo religione, sed & sensu alienissimi, nisi Deo nostro alacriter & seriò obtemperemus. Tempus certè illud tandem aliquando erit, cum in gloriosa & cœlesti Dei Regno omnes Christiani fideles in uno corpore sint conspiraturi, sese capiti suo submissuri, & Dei laudes una voce & animo in æternum celebraturi. Est autem initiatio * quædam in hac vita, & ad tantam felicitatem facienda præparatio, nec heic solùm sementis & rigatio, sed & uberioris & plenioris illius messis quoddam est faciendum spicilegium. Jam igitur sit [a] τὸ ἡμῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς πολίτευμα *nostra politia seu conversatio in cœlis. Perstemus* [b] *in uno Spiritu, uno animo concertantes per fidem Evangelij*; siquos verò imbibimus à majoribus errores, siquos ipsi in nostris cerebellis excudimus, siquos educationis aut sociorum vitio contraximus, si quos Satanæ versutia nobis insevit, siquos nimia scholarum curiositas obtrusit, siquos verba scripturarum aut ignorando aut torquendo suximus, siquos arcanorum Dei inquisitio invexit: in his ne perseveremus, sed in timore Domini omnes nostras opiniones ad sanioris & pacatioris judicij limam trahamus, & ut aurum in igne, ad sacrum Scripturæ canonem probemus, & putidum quodque & corruptum abjiciamus. Deus vetuit, ne simus [c] δολοῦντες λόγον τοῦ Θεοῦ falsantes verbum Dei, ne verbis callidè consutis quispiam nos illaqueet; ne cuivis Spiritui credamus; ne, ut pueri, quovis doctrinæ vento circumferamur; ne vanis doctrinis & quæstionibus inutilibus atten-

* *Pax transitoria est quoddam vestigium pacis æternæ. Greg. pastor.*

a Phil. 3. 20

b Phil. 1. 27

c 2 Co. 4. 2.

ten-

Cap. 14

tendamus; ne vanas oppoſitiones ſcientiarum in errorem ducentes; ne deceptores & deceptos quoſcunque ſuſpiciamus: ne dum alij alios mordemus * & edimus, alij ab alijs conſumamur. Facilè certe heic eſt exercitum argumentorum immenſum conſcribere, & ordines eorum cum grandi & fortiſſimo apparatu explicare, quibus pacis commoda, & diſſidiorum incommoda licet oſtendere & confirmare: ſed nolo huic me negotio ingerere; tum quoniam in hoc opere ſtrenuè, eruditè, & laudatiſſimè deſudarunt alij, tum quoniam ipſe lectorum tantum attribuo ingenuitati; ut exiſtimem quemvis jam velle poſt multa & triſtia diſſidiorum, diſputationum, bellorum experimenta, pacem obvijs ulnis amplecti, & concordiæ leges facile admittere: tum vel maximè quoniam ſcio, & quemvis debere Domini noſtri mandata his de rebus ſine omnibus rationum et argumentorum aculeis facere & obſervare; et quoſvis nolentes Apoſtolicis et Chriſti præceptis in verbo revelatis attendere, nolle etiam audire et obtemperare, etſi quiſpiam è mortuis reſurgeret, aut vivus aliquis omnes argumentorum machinas et vires in aciem produceret.

Ἀλλήλοις ἐμπίπτοντες ὑπ' ἀλλήλων ἀνατριβόμεθα. *Alij cum alijs concertantes, mutuis armis conficiemur.* Baſil. Epiſt.

Mihi igitur ſufficiet hæc nudè & meo more expoſuiſſe. Ut verò concludam; certiſſimum eſt, *Deum nos ad neceſſariam illam Eccleſiæ ſuæ doctrinam in ſcripturis exaratam vocaſſe, & velle, ut hanc audiamus, ſervemus, in ea maneamus, ei obtemperemus, ut in hujus meditatione multùm & frequenter perſeverantes,*

credamus

credamus [d] *Iesum esse Christum illum filium Dei, & credentes vitam per Christi nomen habeamus. Immo manifestissimum est Deum nostrum abunde misericordem & gratiosum nobis non defuisse, sed crebris & efficacissimis admonitionibus & hortatibus nos ad gratiam, pacem & veritatem vocasse; & velle ut sermo* [e] *noster non sit* ναὶ καὶ ὔ, ἀλλὰ ναὶ, *etiam & non, sed etiam in Christo; & ut concordi suorum præconum voce omnes nationes doceantur, omnia quæcunque Christus præcepit observare.* Nec sane suo defuerunt officio homines, aut omnino negligentes indormierunt. Nam PRINCIPES *illustrissimi &* PRÆSULES *vigilantissimi, &* DOCTORES *piissimi fuere pacis, cum Deo pacis, studiosi, verbo & factis vehementiam istam nimiam in contentionibus & disputationibus de rebus dubiis et abstrusis, et minùs necessariis aversati sunt, et quantum potuerunt, retuderunt; et pacem Ecclesiasticam pacis Politicæ matrem, pacis æternæ anteambulonem multis modis tentarunt introducere.* VIRI autem quamplurimi MODERATI ET RELIGIOSI tum concionibus tum scriptis pacificis zelotas & ardeliones intemperantiores ad pacis & charitatis, & benevolentiæ & amoris leges dandas & accipiendas descendere obsecrarunt, orarunt, obtestati sunt; & etiamnum in hoc opere sunt. Nec unquam victi desistent, donec turbæ Ecclesiasticæ, & litigia in rebus sacris aut prorsus consilescant, aut ad Evangelii propagationem, ad florentem Ecclesiæ con-

d Joh 20.31
e 2 Cor. 1. 19.

conditionem, ad totius orbis bonum, & Dei gloriam, ringentibus frustra ingeniis rixosis, pacatiora (quod omnium moderator potentissimus & sapientissimus concedat DEUS) evadant omnia.

FINIS.

Errata hæc, quæso Lector, sic corrigas.

LEge *Pagina* 6. *l*, 25. ferme. *p*, 8. *l*, 24. veræ. *p*, 10. *l*, 24 instar. *p*, 32. *l*, 10. tentorijs. *p*, 43. *l*, 7. constitutæ. *ibid.* *l*, 11. 14700. *p*, 91. *l*, 12. Portum. *ibid.* *l*, 26. 2°. *p*, 96. *l*, 17 Rex. *p*, 97. *l*, 6. ἀντιτάσσεται. *p*, 104. *l*, 32. διδάσκειν. *p*, 130. *l*, 1. Dathanis. *p*, 184. *l*, 18. nec quidem.

Dele pag, 26. *l*, 19 in *p*, 104. *l*, 28. se. *Lege in marg.* *p*, 14. Basil. p, 104. Arist. Rhet. *p*, 170. habentibus. Cæteris, quæ occurrunt, facilis ignoscas, oro.